Pamph.
Relig
theol.

3 1761 09621534 8

SYMBOLAE

AD HISTORIAM THEOLOGIAE MYSTICAE.

DE MACARIO.

DISSERTATIO

HISTORICO-THEOLOGICA,

QUAM

AUCTORITATE SUMME VENERANDI

THEOLOGORUM ORDINIS

MUNUS PROFESSORIS THEOLOGIAE EXTRAORDINARII

RITE ADITURUS

ILLUSTRISSIMI ICTORUM ORDINIS CONCESSU

DIE XXI MENS. NOVEMBRIS MDCCCXLVI HORA X

IN AUDITORIO IURIDICO

PUBLICE DEFENDET

GUIL. BRUNO LINDNER,

THEOL. LIC. ET PROF. E. O. DES., AA. LL. MAG.

AD AEDEM PAULINAM CONCIONATOR, SOCIETATUM HISTORICO-THEOLOGICAE

LIPSIENSIS, STATISTICAE BEROLINENSIS, LITERARIAE GORLICIENSIS SODALIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA CAROLI TAUCHNITII.

INTRODUCTIO.

Accurate rerum humanarum historiam perscrutanti ignotum esse non potest, inde ab antiquissimis temporibus nonnullis gentibus id negotii a Deo Sapientissimo datum fuisse, ut ab ipsis orbis terrarum cultura proficisceretur, reliquaeque nationes discerent. Hic honor, haec dignitas praecipue Aegyptiis contigit, qui non tantum in ipsis generis nostri primordiis omnium populorum extiterunt doctores et excultores, sed in religione etiam Judaica et Christiana novum rerum statum plerumque provocarunt, donec ab Arabibus culturae et ingenii laus in illa terra infelici prorsus extingueretur. Ut acquiescamus in iis, qnae commemoratione digna perfecerunt Aegyptii in doctrina Christiana, primi erant, qui philosophiam cum fide conjungere studerent, et philosophiam Christianam conderent; Origenem et scholam, quae ab ipso pependit, Alexandrinam commemorasse sufficit; deinde, ubi ex errorum et haeresium diluvie orthodoxa ecclesiae catholicae doctrina emergere coepisset, Athanasius Alexandrinus antesignanus extitit, quem secutus Cyrillus non minori sagacitatis in re dogmatica laude floruit, quamvis vitae probitate illo inferior; quid quod in haeresibus etiam gignendis ingenii fertilitatem non parvam Aegyptii testati sunt, quippe a quibus gnosticismus et monophysitismus prodierunt. Jam nostrum erit, hoc ipso libello demonstrare, mysticae etiam theologiae fundamenta in Aegypto jacta esse, cujus primum fere professorem Macarium reperimus, virum vitae rigore et pietatis studio insignem, a quo, Augustini fere praecursore, saniorem anthropologicarum quaestionum tractationem profectam esse, recte Schleiermacherus observavit*), quam tamen laudem cum Isidoro Pelusiota communem habet**).

*) Gesch. der christl. Kirche ed. Bonnell p. 205 sq.

**) Indagatione uberiore dignum mihi videtur, quemadmodum Ma-

Hanc mihi materiam tractandam sumsi propterea inprimis, quod mysticae theologiae historiam scriptores nostri ab eo demum tempore enarrare consueverunt, quo in mysticismum abiit, i. e. quum philosophiae haereticae, neoplatonicae dico, ope a genuina indole Christiana ad alienam quamdam ab ingenio Christiano abhorrentem rationem abripi se passa est*), a tempore demum Pseudodionysii. Negari nequit, mysticas doctrinas jam ante non optimae memoriae virum a patribus ecclesiae excultas esse, vel certe cultas; germina theologiae mysticae, quae in N. T. reperiuntur, non potuerunt in theologis Christianis non fructifera esse, imprimis postquam ventilari coeptae sunt de anthropologia quaestiones, et ad id accesserunt doctores ecclesiastici, ut arcanam Spiritus Sti efficaciam in animis fidelium, flatum illum, qui unde veniat et quo tendat, nemo scit, adumbrarent. Sic in omnibus fere ecclesiae Christianae patribus mysticae doctrinae vestigia reperimus, nullus tamen eorum in systema quasi redigere et terminologiam mysticam proponere ante Macarium, quod sciam, tentavit; Origene forsan excepto, qui tamen, *τῇ γνώσει* magis addictus, *τὴν αἴσθησιν* et quae ad hanc pertinent prae illa neglexit. Ita factum est, ut ea etiam, quae de communione mystica dissereret, ad cognitionem magis referret, et omnem experientiam methodo scientifica acquiri et in cognitione perfici diceret; in his non dissimilis nostri temporis philosophorum, qui cogitando et speculando omnia se assequi, et Deum ipsum in his solis vitam, si ita dicere licet, habere et agere opinantur.

Macarius, cujus vitam hic non est cur enarremus, in scriptis suis ostendit, se scholae Origenis plurimum debere, neque

---

carius et Isidorus cum reliquis patribus Aegyptiacis in dogmatis anthropologicis mediam inter orientalem et occidentalem doctrinam primi proposuerint, e qua Augustini sententia non sine necessitudine quadam logica deinde prodiit.

*) Quae Görres habet (die christl. Mystik 1 Bd) vix commemoratu digna sunt; pluris facienda sunt, quae reperiuntur apud Ritterum (Geschichte der christl. Philosophie 1. u. 2. Bd), neque tamen haec theologo satisfacere possunt; quod philosophi tantum auctor egregius partes suscepit.

tamen Origenista est, sed in iis, de quibus lis erat inter orthodoxos, Methodium imprimis et Athanasium, et Origenistas, ab illorum stat partibus. Ipsum, quod elegit, vitae genus anachoreticum, asceticis exercitationibus deditum, effecit, ut non tam gnosi studeret, quam praxi; sed tamen gnoseos etiam vestigia in ipso non pauca deprehenduntur, ubi de animae natura et de mysteriis incarnationis agit. Ipsa Aegyptiacae terrae, cujus regionem desertam, Scethin, per sexaginta integros annos habitavit, natura, phaenomenis ditissima, eum impulit, ut rerum physicarum quotidiana consuetudine indagationem non negligeret et ex illis maximam exemplorum, quibus abundat, partem sumeret; huc accedit, quod illius terrae et nationis indoles magnam in ejus animum vim non poterat non exercere*).

Monachi ejus temporis, quamvis ascesi plurimum temporis impendentes, nihilominus non alieni erant ab illis litibus, quae ecclesiam exagitabant; scimus ipsum Antonium Arianos confutandi causa Alexandriam profectum esse; et notissima est illa inter monachos Nitriacos et Scethiacos disceptatio, quorum illi cum Origene fecerunt, hi contra Origenem vociferarunt. Scethiaci igitur ad doctrinam ecclesiasticam magis propensi fuisse videntur; quae propensio paulo post Macarii

---

*) In jenes Thal, (das Nilthal) waren in uralten Zeiten die Misraim eingezogen, in Temperament und Leidenschaft Feuerentstammte; dem Gemüthe nach Kinder der Nacht, und auch im Geiste den tiefsinnigen, geheimnissvollen Räthseln der Naturtiefe zugewendet. Ihr Landesstrom, der verhüllten Hauptes ihre Heimath tränkte und ernährte, und dem die Etesien wieder durch die Höhe zubrachten, was er unten in der Tiefe ins Meer entsendet hatte, musste diesem in sich gekehrten Geiste als Sinnbild des grossen Naturlebens, das auch in stetem Wechsel vom Ausgang aus dem Centrum und Rückgang in dasselbe sich bewegt, erscheinen; alle Geschichte aber nur als Fortsetzung jener Seelenwanderung in der Natur u. s. w. — Wie die Rose, der Eiche aufgepfropft, sich im Saft der Lohe des Baumes schwärzt, so hat das Christenthum, dem altägyptischen Wesen aufgesetzt, die im tief dunklen Purpur erglühende Rose des Einsiedlerlebens hervorgetrieben, und diese Rose wucherte in den Trümmern der alten Herrlichkeit, nachdem diese in die Tiefe hinabgesunken, u. s. w. (Görres die christl. Mystik. I. 182. 183.)

obitum, Theophili tempore, eo ardoris progressa est, ut armata adeo manu Alexandriam magno numero pergerent, et patriarcham cogerent, ut Origenem damnaret. Hujus orthodoxiae vestigia in Macario nonnulla deprehendimus, quamvis raro tantum haereticorum (Arianorum et Manichaeorum) mentionem cum vituperatione injicit. Sed ex omnibus ejus scriptis apparet, non parvo successu eum Athanasii, Cyrilli, Methodii disciplina usum esse, et in plerisque his se adjungere dogmatis. Spinosiores tamen speculationes fere nullas in ipso reperies; quas, nisi prorsus ignoravit, ita tamen in succum et sanguinem vertit, ut videas, ei ante omnia vitam et practicum usum cordi fuisse. Quodsi quaerat aliquis, utrum Macarius Graecae etiam philosophiae operam dederit, id pro certo neque negare, neque affirmare ausim. Ex scriptis ejus nil apparet, nisi magna cum Scriptura Sacra familiaritas, bella dictionis elegantia, et fidei Christianae talis expositio, ut, quemadmodum antea diximus, Origenis discipulum et operum Athanasii et Methodii lectorem eum fuisse, non sine justa causa censeas. Linguae elegantiam fortasse in rhetorum scholis acquisivit; ipse tamen eam eloquentiam, quae non cordis est sed scholae, non flocci facit, eique Christianam ita opponit, ut videatur de re loqui, quam ipse expertus est*). Hujus Christianae eruditionis est proprium, ut non in forma haereat et elaboret, sed quia rem habet et substantiam, notitiam scilicet Dei, et institutricem gratiam, per rei possessionem forma etiam facile potiatur. Hoc in ipso Macario deprehendisse mihi videor; ea, quae in scriptis suis profert, ipse experientia novit; plurimus enim est in describendo animae lapsae statu, in adumbranda via, qua ad Deum perveniatur, denique in exponenda, et ut ita dicam depingenda animae perfectae quiete et felicitate, cujus picturae vividissimos colores ab ipsa experientia suppeditatos ipsi esse facile cernis**). Huc accedit, quod in hac, quam modo

---

*) Sapientes quidem Graecorum in sermonibus exercentur, et longo usu rixas inter se conserere consueverunt et norunt; servi autem Dei, qui efficaci gratiae auxilio mysteria divina cognoverunt et in spiritu divites sunt, etsi in disputationibus sunt inexercitati, notitia tamen divina et Dei gratia perficiuntur. de elev. ment. 15.

**) Ipse de se disertis verbis id praedicat: *Εἰςῆλθον εἰς τὸ τέλειον*

commemoravi, re novam linguam, mysticam terminologiam primus creavit. Quod vero priora illa duo attinet, quae de animae statu et de via ad salutem perducente dicit, quid mirum, si in his eloquentissimus est; cum monachi, ab externo mundo sponte se segregantes, solitudine sua fere coacti erant, ut omnes cogitationes in sui cognitione colligerent, se, i. e. internum animae statum, continuo examinarent, cumque omne vitae studium in eo posuerunt, ut ex hujus mundi vicissitudinibus ad aeternam quietem perrumperent. Habet Macarii dictio propriam quandam et originalem indolem, vix ut possis cum alio ejus temporis patre ecclesiae conferre; continuo quasi flumine progreditur, ut sentias, ex imo corde profluere, omni arte caret, sine labore sponte sua scaturit*). Haec tamen non de omnibus ejus operibus dicta sunt; in illa vero loca imprimis cadunt, in quibus, pictoris instar, internos animae motus, Christianorum certamina et praemia adumbrat. Quapropter non dubito, homilias Macarii inter optimas, quae ex eo tempore nobis relictae sunt, referre; Origene in his superior, a Chrysostomo non longe abest, quid quod vigore et alacritate non raro eum vincit.

Reliquum est, ut pauca praemittam de theologia mystica; haec imprimis id agit, ut voluntatem ad divinam libertatem,

---

μέτρον ἔν τισι καιροῖς, καὶ ἐγευσάμην καὶ πεῖραν ἔσχον ἐκείνου τοῦ αἰῶνος· — κἀμοὶ μερικοῖς καιροῖς ἔν τισιν ἐξεγένετο εἰς ἐκεῖνο τὸ μέτρον ἢ λέλεκται εἰςελθεῖν, καὶ οἶδα καταμαθὼν, ὁποῖός τις ὁ τέλειος ἄνθρωπός ἐστιν. de char. 12. cf. Pallad. hist. laus.: De alia autem exercitatione caelestis hujus viri, Macarii inquam, dicebatur hic sanctus esse assidue in ecstasi, et majori tempore vel cum Deo, vel in rebus versari caelestibus, cujus etiam feruntur res adversae.

*) Id non sine dolore quodam sensi, difficillimum ea ipsa de causa esse, sermones Macarii in latinam linguam transferendi negotium. Ad mysticas notiones exprimendas eo demum tempore exculta est, quo barbaries irrumpenti cedere coepit. Si quae igitur barbara irrepserunt, id nolite, lectores, mihi imputare, in re ipsa situm est. Eae etiam versiones latinae, quas Pritius (cujus editionem cito) textui apposuit, (ut ipse dicit, emendatas) hoc vitio non parum laborant, et multis locis Macarii sensum vel imperfecte, vel omnino non reddunt. Melior est, quam Cassederus exaravit, versio germanica (Bamberg 1819) neque hic tamen omnibus locis Macarium intellexit.

cognitionem ad divinam intelligentiam et intuitionem evehat et augeat; de via, qua ad haec pervenitur, de beatitudine et gloria, quae cum perfecta libertate et cognitione conjunctae sunt, nos edocet*). Haec bona divina cum Christo et apostolis testibus nisi gratiae auxilio et Dei misericordia nobis contingere non possunt, de gratia divina, ejusque in animis hominum arcana operatione**) maxime disserit; a nobis vero, ut eo perveniamus, amorem et desiderium poscit, ut antea quiescere non possimus, quam iis potiti simus. Ut perfecti fiamus, abjicienda est omnis generis debilitas et malitia, peccati vincula dirumpenda sunt; hoc ipsum certamen, quo viribus nostris per gratiam restitutis et auctis contrariam in nobis potestatem mali vincimus, ex quo, si recte sine intermissione pugnaverimus, victores cum summo honore, quamvis sine merito, exibimus, mystica theologia describendum sibi sumsit. In his omnia praecipua capita disputationis adumbrata sunt, reliqua, quae in auctore nostro reperiuntur, in hac certe dissertatiuncula silentio praeteribo †).

---

*) Die Mystik ist ein Schauen und Erkennen unter Vermittlung eines höhern Lichts, und ein Wirken und Thun unter Vermittlung einer höhern Freiheit; wie das gewöhnliche Wissen und Thun durch das dem Geiste eingegebene geistige Licht und die ihm eingepflanzte persönliche Freiheit sich vermittelt findet. (Görres die christl. Myst. I. p. 1.) Hic tamen liber, quemadmodum jam ex hac definitione satis apparet, de mystica ut ita dicam practica agit, et systematum mysticorum nullam omnino rationem habet.)

**) Arcanum et in natura divina et in operatione Spiritus Sancti imprimis premitur, unde nomen ipsa theologia mystica nacta est. Ita fit, ut Macarii, quemadmodum reliquorum theologorum mysticorum, dictio verbis id indicantibus scateat: ἄφραστος, ἀνεκλάλητος, μυστικὸς, ὑπερουράνιος, ἀπεριγνόητος, ἀνεκδιήγητος, ἀχώρητος, ἀκαταλήπτως, ἀνεξιχνιάστως, ἀνεννόητος, ἄμετρος, ἀμέτρητος, ἀπέραντος. etc.

†) Ceterum nos non injuria mysticum appellasse Macarium, et vere mysticos theologos ab aliis, qui in multis simillimi ipsis sunt, genuina quadam indole differre, luce clarius patet, si cum Macario Isidorum Pelusiotam comparamus, qui illi est simillimus in ascesi quemadmodum in dogmatis, sed cogitationum et dictionis exilitate, ariditate et jejunitate quadam mirum quantum ab ipso distat. Nisi hoc, quod dixi, causam suam habet in eo, quod epistolae abbatis Pelusiotae tantum nobis conservatae sunt, nullus sermo, nulla homilia, nullus tractatus.

Mystica theologia egregie adumbrari potest, si in ejus descriptione verba domini Mth. 5, 8. sequimur: *Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται.* Primum demonstrandum erit, quid sit *ἡ καθαρότης τῆς καρδίας*, et quomodo efficiatur, (moralis mysticorum doctrina,) deinde, quid sit *ὄψεσθαι τὸν Θεὸν*, quomodo hac beatitudine in hac ipsa terra, perfectius in coelis frui possimus et vere fruamur. Jam in definienda puritate cordis duplex sanis mysticis error erat vitandus; Manichaei enim et Gnostici proposuerant, aliter hominem ad haec non posse pervenire, nisi carnem, quae sit sedes malitiae, prorsus enecaverit, et captivam mentem, per se bonam, liberaverit; id quod duplici ratione effici opinabantur: alii enim ascesi corpus macerandum ac debilitandum esse docuerunt, abstinendum ab omnibus ciborum, matrimonii, commercii deliciis, et ita eo denique perveniendum, ut externis illecebris homo prorsus mortuus, ab his tangi omnino non possit; alii aliam regulam proposuerunt, *δεῖν καταχρῆσθαι τῇ σαρκὶ*, i. e. omnibus libidinibus et cuivis impetui carnis cedendum esse, quia sic celerrime se ipsa conficiat, et utendo vires consumat. His erroribus recte Macarius opponit, animae non esse certamen tantum cum carne, sed in ipsam per peccatum dissidium irrepsisse, pugnandum ipsi cum hoste interno simul et externo, nec sola ascesi, nisi simul interna sit, puritatem animae restitui. Quod ad alteram partem attinet, *τὸ ὄπτεσθαι τὸν Θεὸν*, id variis rationibus homini contingere docebatur; alii enim, ut conspici queat Deus, visibilem reddere studebant et humano corpore, humanis membris indutum esse opinabantur, (Anthropomorphistae;) alii, quo Deo *ἀσωμάτῳ* similis homo fiat, omnia terrestria ita esse abjicienda putabant, ut purus sine omni corpore spiritus demum evadat, atque in Dei substantiam absorbeatur. Haec doctrina, quamvis vestigia ejus inter philosophos primorum saeculorum jam reperimus, perfecta demum est et exculta a mysticis serioris aevi, inde ab octavo saeculo, imprimis inter Germanos a fratre Eckarto, et non male a novissimo hac de re scriptore Acosmismi nomine est appellata*). Inter utrumque errorem media via Macarius ingreditur; Deum,

*) Dr. H. Martensen Meister Eckart Hamb. 1842.

per se invisibilem conspiciendum se praebuisse in Christo filio, et oculis spiritualibus sane cognosci posse; spiritualem hominem evadere debere eo, quod longo certamine terrestria et hylica a se removeat, non tamen ita, ut deleto corpore in deitatem absorbeatur et intereat, sed ut glorificato corpore ad Deum accedat*). Propterea non parvi momenti apud nostrum scriptorem est doctrina de resurrectione corporis.

Non minus eorum errorem feliciter Macarius vitat, qui, neglectis reliquis mentis viribus, sola cognitione Deum conspici opinantur et totum hominem, volendi non minus quam sentiendi et cogitandi facultatem, eo perfici, ut aeterna luce apud Deum fruatur, statuit.

Hoc ipso ordine jam doctrinam auctoris nostri deinceps adumbrabimus; ita, ut propositis ejus sententiis loca probantia addamus. Denique ex ejus exemplis et parabolis, e rerum et hominum natura, e cultu Christiano, ex historia biblica petitis, quibus abundat, selecta quaedam adjungemus. Cum Macarii dogmatis comparavi sententias Clementis, Origenis et Tauleri; illorum, ut pateat, ab his multa in Macarii systema, si ita dicere licet, transiisse, hujus, quod mystica Germanorum medii aevi doctrina in plerisque congruit cum eorum, qui ante Dionysium mysticis sunt annumerandi. Interjecta inter hos est Dionysii γνῶσις μυστικὴ, quam in plerisque sequuntur Scholastici, miscentes eam cum Augustini sententiis. Usus sum libris egregiis per quos mirum in modum scientia theologica est ditata, Schmidtii libro Joh. Tauler v. Strassburg Hamb. 1841 et Redepenningii: Origenes Bonn 1841. 46. 2 Vol. quorum auctoribus doctissimis et sagacissimis non possum quin gratias quas valeo maximas publice, hac occasione oblata, agam.

---

*) Hac ipsa de causa Macarius, plerorumque mysticorum instar, non tantum terrestribus ita utitur, ut in iis typos caelestium inesse et altiorem quendam sensum spiritualem ostendat, sed etiam caelestia et spiritualia exemplis e natura rerum et hominum petitis illustrare solet, ita ut saepe numero in crassiorem rerum supernaturalium expositionem delabatur.

Caput I.

De anima ejusque ante et post lapsum statu.

Anima est corpus per se tenue*), sed hoc corpus terrestre instrumentum sibi formans eoque utens [1]), creatura quaedam divina**) intellectualis, similitudo et imago dei; creata est a Deo, non ex Dei substantia emanavit, divina est, quatenus Deus per gratiam in ipsa habitare dignatur. In medio posita erat inter Deum et Satanam, ita ut libero arbitrio eligere posset, utri vellet servire, a quo leges accipere et mercedem expectare. Perfecte Dei imaginem refert indole innata, quemadmodum infans recens natus perfectum virum perfecte praeformat [2]) †). Liberi arbitrii abusu lapsa est; tunc in ipsam primum, peccati per voluntatem causam primariam, pernicies, i. e. occulta quaedam sanies, gratia se subtrahente, irrepsit, quae deinde ad corpus etiam, animae in peccando perpetrando instrumentum, pertransivit. Haec totam animam, et totum corpus, ipsam substantiam utriusque, nullo eorum membro sano relicto contaminavit; jam in imis animae recessibus peccatum, anguis

---

*) Anima corpus est i. e. membra ejus sunt multa, *νοῦς, συνείδησις, θέλημα, λογισμοὶ κατηγοροῦντες καὶ ἀπολογούμενοι*: haec omnia concurrunt in unam rationem (*λογισμὸν*) et membra sunt animae. Unica autem est anima, interior homo. hom. 7, 8. — Quinque animae sensus, (*αἰσθήσεις*) *σύνεσις, γνῶσις, διάκρισις, ὑπομονή, ἔλεος*, si coelestem gratiam et sanctificationem spiritus acceperunt, fiunt virgines vere prudentes. de elev. ment. 4. *ὁ ἔσω ἄνθρωπος* (i. e. anima) *τῷ ἔξω ἀνθρώπῳ* in forma etiam similis est; habet enim membra, oculos, aures, manus etc. *τοῦ ἔξω ἀνθρώπου* membris respondentia. hom. 2, 2. Orig. lib. in Cant. I, 42.

**) Clem. Strom. III. 559. Qu. div. salv. 950. ed. Potter.

†) Clem. Coh. 52. 79. Strom. I, 336. IV, 632. VI, 768. Orig. c. Cels. VI, 681. VIII, 778. ed. Ru.

instar latet et residet, jam mens captiva est et serva peccati, duplici catena, rerum mundanarum amore et spirituum pravorum impetu, vincta; et mercedem hujus servitutis in hac etiam terra reportat: Caini scilicet similis, sine quiete vagatur, a libidinibus vexata, a daemonibus huc illuc agitata et exercita [3]). Per peccatum morbi et mors in humanum genus irrepserunt et hic miseriae status ad omnes Adami posteros ab ipso propagatur [4]).

1) Unum quodque horum (anima, angelus et daemon), si de natura eorum sciscitaris, corpus est; quamvis enim subtilia sint, tamen in substantia, forma et figura corpora sunt tenuia pro naturae tenuitate*) (*κατὰ τὴν λεπτότητα τῆς φύσεως αὐτῶν σώματα τυγχάνει λεπτά*), quemadmodum hoc corpus crassum (*παχὺ*) est substantiâ. Ita anima subtilis cum sit, assumsit (*περιέλαβε*) membra corporis, oculum, per quem videt, aurem, per quam audit etc., cumque illis penitus commiscetur, et omnibus muneribus humanae vitae fungitur. hom. 4, 9. — (Similiter Clemens Alexandrinus animam *ἀσώματον* esse dicit, substantia subtili quadam et tenui praeditam (quod *τὸ λεπτομερέστερον* vocat). Anima formam habet et imaginem similem angelo. Sicut angeli imaginem habent et formam, et sicut exterior homo habet formam; sic et interior habet similem angelo et exteriori homini imaginem. hom. 7, 7.

Anima, quae discernendi facultate pollet, totum corpus dirigit, cujus tunicam gestat, veluti praeclaram vestem. hom. 4, 3.

2) Sed hic contemplare et discito, quid sibi velit illud: Hic Deus est, illa (anima) non est Deus, hic dominus, illa ancilla, hic creator, illa creatura, hic opifex, illa figmentum. Nihil commune inter hujus et illius naturam est; at per infinitam, ineffabilem et incomprehensibilem dilectionem et misericordiam ejus placuit illi, in hoc ipso figmento, in hac creatura intellectuali, pretiosa et electa inhabitare. Jac. 1, 18. hom. 49, 4.

---

*) *Τῆς λεπτότητος* signum est animae omnipraesentia et mobilitas: Quemadmodum Deus ubique est, sub terra, super coelis et apud nos: ita anima quoque prope te est, intra te est, extra te est; quocumque enim volueris, in remotissimas regiones anima momento avolat, sive in occidentem, sive in orientem, sive in ipsum coelum. hom. 12, 12.

Anima non est naturae divinae, neque naturae tenebrarum malitiae, sed est creatura intellectualis (*κτίσμα τι νοερὸν*), pulchra, insignis, admiranda, elegans similitudo et imago Dei*), in quam propter transgressionem invasit malitia affectionum, quae ad regnum tenebrarum pertinent. hom. 1, 7.

Sicut infans recens natus viri perfecti imaginem praeformat, ita et anima imago quaedam est Dei, qui ipsam creavit. de pat. et discret. 18.

Omnes substantiae intellectuales (*οὐσίαι νοεραὶ*), angelorum inquam, animarum et daemonum, sincerae ac simplicissimae (*ἀκέραιοι καὶ ἁπλούστατοι*) a conditore creatae sunt. hom. 16, 1.

Anima longe praestantior est reliquis omnibus creaturis; solus

---

*) Quamnam imaginis divinae notionem Macarius habeat, breviter adumbretur; ad eam pertinere dicit cognitionem, notitiam boni et mali (discretionem, *διάκριοιν*), puritatem, fidem, dilectionem, libertatem arbitrii, ita ut natura ejus capax quidem mali esset, sed ei resistere posset; praeterea dominationem in omnes creaturas, honorem et gloriam externam, quae omnia habuit in verbo Dei, cum ipso conjunctissimo.

Quamdiu *ὁ λόγος τοῦ θεοῦ* cum ipso erat, Adamus omnia possidebat, ille enim ipsi instar omnium erat; erat haereditas, indumentum et gloria. Data erat ei potestas omnia nominandi, ad quam exercendam ab ipso Deo est edoctus; cognitionem habuit et sensum et disciplinam *ἐν τῷ λόγῳ*, gloriam etiam externam, quae ipsum quasi amicuit, qua omissa post transgressionem nudum se esse sensit. hom. 12, 6. 7. 8. — Notitiam boni et mali acceperat, in honore et puritate versabatur. hom. 12, 10. — Natura ejus erat mutabilis (*τρεπτή*) ad bonum, sicut ad malum; capax quidem mali (*δεκτικὴ τοῦ κακοῦ*), sed, si voluit, resistere ei potuit. hom. 26, 5. — Princeps hujus saeculi et dominus omnium visibilium rerum homo ab initio a Deo erat constitutus; non potuit ignis ipsum laedere, non aqua demergere, nec ferae venenum ipsi nocere. de pat. et discr. 3. — Intelligentia ejus erat simplex et bona, a libidinibus carnis libera, cogitationes ejus ad coelestia tendentes et sublimibus rebus occupatae. ibid. 5. — In ipso erat quasi statera et anceps momentum et jugum arbitrii cordis (aequale temperamentum virium, *σταθμίον καὶ ῥοπὴ καὶ ζυγίον τοῦ θελήματος*) i. e. nondum inclinata erat ejus voluntas in malum, sed in aequilibrio quasi versabatur. ibid. 25. habuit anima *εὐφροσύνην ἀπαθείας, ὑγιότητα, ἀνάβλεψιν διανοίας*, i. e. mentem sublimia spectantem et *τῶν λογισμῶν εἰρήνην*. hom. 4, 25. Ab animalibus ita distinctus erat, quod non, sicut illorum, natura ipsius vincta erat. Animalia enim non possunt non esse, qualia Deus ea creavit, homo contra pro lubitu naturam mutare valet. hom. 15, 24. Et ita sine intermissione et impedimento profectura fuerat et in virum perfectum evasura anima. de pat. et discr. 18.

quidem homo ad imaginem et similitudinem Dei est creatus; in illum solum Dominus amore exarduit (*εἰς αὐτὸν εὐδόκησεν*) hom. 15, 43; quod solam animam inter omnes creaturas inferiores dignatus est Deus, quam cum propriae naturae Spiritu uniret et arctissime conjungeret, (*τοῦ πνεύματος τῆς ἰδίας φύσεως ἕνωσιν θέσθαι καὶ κοινωνίαν*) de lib. ment. 32.

3) Peccatum est *ὄφις εἰς τὰ ταμιεῖα τῆς ψυχῆς ἕρπων καὶ ἐμφωλεύων* (nidulans). — *Αἰχμάλωτος καὶ δοῦλος τῆς ἁμαρτίας νοῦς·* de cust. cord. 1.

Est occulta quaedam sanies et libidinum obscurarum abundantia (*κρυπτός τις ῥύπος καὶ περιττόν τι σκότος παθῶν*), quae praeter puram hominis naturam Adami transgressione in totum genus humanum irrepsit (*παρεισέδυ*). Haec tam corpus, quam animam contaminat et polluit. de pat. et. discr. 9.

Peccatum primum in anima perficitur, dein ad corpus transit. Affectiones enim vitiosae ignis sunt impurus, qui accendit cor, et inde pervadit ad omnia membra, et homines incitat ad libidines et infinita mala. Quicumque igitur voluptate intus titillantur et delectantur (*γαργαλιζόμενοι καὶ συνηδόμενοι*), intus in corde fornicationem committunt; quod malum, ubi fovetur, in manifesta scelera erumpit. hom. 25, 50.

Poena transgressionis in anima Adami primum apparuit, quippe quae per peccatum vere mortua est, intellectualibus ejus sensibus, gratia se subtrahente, extinctis et ad mortuorum similitudinem redactis. Deinde ad corpus mors pervasit. de lib. ment. 26.

Diabolus animam, i. e. totam ejus substantiam (*ὅλην τὴν ὑπόστασιν αὐτῆς*) peccato induit, totam inquinavit, ac totam captivam in regnum suum abduxit; nec reliquit ullum ejus membrum intactum. Tota perversa est, quemadmodum corporis non una pars aut unum membrum patitur, sed totum passioni obnoxium est. hom. 2, 5.

Verbum illud, quod Caino a Creatore dictum est Gen. 4, 13. *στένων καὶ τρέμων καὶ σειόμενος ἔσῃ ἐπὶ τῆς γῆς,* typus est et imago omnium peccatorum. Sic genus Adami post lapsum illam imaginem latenter gestat, agitatum continuis cogitationibus metus et timoris, omnis generis perturbationibus, cupiditatibus, libidinibus; princeps enim hujus saeculi omnem animam ex Deo non renatam huc illuc agitat, quemadmodum triticum in cribro ventilatur. hom. 5, 2.

Cum quo commiscetur anima, cujus tenetur dominio, cum eo etiam in voluntate concrescit (*συνήνωται ἐν τοῖς θελήμασιν*); si Dei

lucem in se habet, luce quietis (φῶς τῆς ἀναπαύσεως) abundat; si tenebris obvolvitur, damnatur. hom. 1, 8.

Meretricis instar quae se ipsa omnibus turpiter prostituit, anima se tradidit daemoni, et corrumpitur a spiritibus. hom. 27, 2.

Post transgressionem diabolus animam caliginoso velamine operuit. hom. 17, 3. (Amisit ergo illa originalem Dei et sui ipsius cognitionem.)

Duobus malis homo post transgressionem premitur, tamquam vinculis; in hac vita rebus mundanis et voluptatibus et affectionibus carnalibus; intus est quasi obsessa anima et vincta per spiritus malitiae, ita ut Deum non possit, sicut vult, diligere et adorare. hom. 25, 2.

Adamus transgressus mandatum Dei duobus modis periit; primum quidem, quod naturam suam puram perdidit, speciosam et ad imaginem et similitudinem Dei creatam; deinde, quod ipsa imagine privatus est, in qua posita erat secundum promissionem Dei tota haereditas. Monetae similis erat, in qua impressa est regis imago, quae si adulteratur, imago nullius est pretii. hom. 12, 1.

Ex quo transgressus est Adam, accessit serpens, dominusque domus factus est, et velut altera anima cum anima versatur: (καὶ ὡς ψυχὴ ἑτέρα μετὰ τῆς ψυχῆς ἐστι). Luc. 14, 33. Joh. 12, 15.

Peccatum, postquam invasit hominem, animae quasi membrum factum est; ipsi corporeo homini (τῷ σωματικῷ ἀνθρώπῳ) inhaeret, unde scaturiunt multae et impurae cogitationes. Quodsi homo animae suae, cordis sui voluntati (post lapsum) obtemperat, peccat, quia cum peccato anima est quasi permixta. hom. 15, 23.

Anima per lapsum Adami in caecitatem, surditatem, mortem infidelitatis (νέκρωσιν τῆς ἀπιστίας), ignorantiam et temeritatem incidit, — oppressa est morbo ignorantiae, malitiae, infidelitatis, temeritatis (ἀφοβίας) et reliquarum libidinum turpium. hom. 4, 25. 26.

Quod nonnullae ex animabus, quae purae creatae sunt, ad malitiam desciverunt, ortum id est a libero arbitrio. Propria enim voluntate deflexerunt a recta ratione. Quodsi dicimus (Gnosticorum et Manichaeorum more), tales a Deo conditore creatas esse, injustum judicem Deum esse calumniamur, qui Satanam in ignem conjiciat. Qui affirmant, malum substantiale esse (ἐνυπόστατον), nihil sciunt. Coram deo nullum malum est substantiale, quia affectionum est expers (διὰ τὸ ἀπαθὲς αὐτοῦ), et in deitate versatur (καὶ

θεϊκόν). In nobis autem operatur (ἔστιν ἐνεργοῦν) potenter, ita ut sentiamus ejus efficaciam (ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ αἰσθήσει), obscoenas omnis generis cupiditates suggerens; non tamen eo modo, quo vinum aqua dilui dicitur, cum anima permixtum est, sed perinde ac in uno eodemque agro lolium est seorsim et frumentum, perinde ac in una domo latro est seorsim et herus domus. hom. 16, 1.

Intus in anima repens est et progressus faciens Spiritus malitiae, vis quaedam rationalis, impulsiva (λογιστικὸν κινητικόν) quod est velamen tenebrarum, vetus nimirum homo, quem oportet eos, qui ad dominum confugiunt, exuere. hom. 42, 3.

Peccatum enim, postquam surrepsit, i. e. substantia quaedam et vis rationalis (οὐσία καὶ δύναμις λογική) Satanae, omnia mala sevit. Occulte enim et latenter in hominis ima mente operatur, et rationi repugnat. Homines vero nescire solent, se aliena vi impulsos haec agere, sed putant haec esse naturalia et libero animae arbitrio se ea perficere*). hom. 15, 49.

Quod quidam paralysi, partium quarundam mutilatione, febri et morbis laborant, hoc totum a peccato proficiscitur. Haec enim est radix omnium malorum: et libidines concupiscentiae in anima et pravae cogitationes inde scaturiunt. hom. 16, 4.

Postquam enim primus Adam mandatum Dei transgressus est, regnavit mors in omnes ejus filios. hom. 11, 9.

Die illa, qua lapsus est Adam, Deus ad eum accessit, ambulans in paradiso, lamentatus est ejus casum, ac fere dixit: Ex quibus bonis quanta mala excitasti? E qua gloria quantum tibi parasti dedecus? cur tenebris nunc obvolveris? cur deformis es? cur turpis? quantam lucem quanta caligine permutasti? omnes angeli, ipse creator, omnes potestates, coeli, terra et omnes creaturae Adami lapsum deploraverunt, quod eum, qui ipsis rex datus erat, in servitutem redactum viderunt hostilis et pravae potestatis. Tenebris animam suam obduci passus est, tene-

---

*) Est subtilis haec admodum veritas, in eo imprimis Satanae dolum apparere, quod statum a natura prorsus alienum naturalem esse homines opinentur, et ea facinora, quorum perpetratione servitutem suam testantur, liberi arbitrii esse signa necessaria. Obsequium deo praestitum, naturalem hominis bonitatem, pro servitute, et obsequium Satanae praestitum, statum naturae contrarium, pro libertate venditant.

bris acerbis et pravis. Hic est, qui vulneratus a latronibus semivivus relictus est, cum Hierosolymis Hierichuntem versus descenderet. hom. 30, 7.

Per mulierem, utpote sibi simillimam, inimicus Adamum decepit, et gloriam ipsi circumfusam abstulit. Ita nudus repertus est, et turpitudinem suam conspexit, quam antea non vidit, quippe cogitationibus ipsius in contemplanda caelestium formarum pulcritudine quasi diffluentibus. Post transgressionem enim cogitationes ejus ad humum vergebant et humilia spectabant; prior illa simplex et bona intelligentia carnalibus cogitationibus contaminabatur. Quae de clauso paradiso et de cherubim ipsum custodiente leguntur, vere ita facta sunt, mystico sensu in qualibet anima repetuntur. Undique enim cor obvolutum est quasi velo quodam tenebrarum, fumo ex igne mundani spiritus provolante, qui neque conversari cum Deo mentem, neque orare vel credere vel amare Dominum sinit, quemadmodum ipsa cupit. de pat. et discr. 5.

Per inobedientiam anima demersa est in pelago oblivionis et dejecta in abyssum erroris; in portis inferi habitat, ubi lato intervallo a Deo distat, nec potest ad ipsum accedere, nec accurate eum cognoscere. de pat. et discr. 18.

4) Omnis enim calamitas (ἐναντιότης) in rebus visibilibus et arcanis a transgressione primi parentis ad nos omnes pertransit (μέτεισι). de lib. ment. 29.

Inde enim ab Adami transgressione cogitationes animae ab amore Dei divulsae sunt, in hoc mundo defixae, mixtae materialibus (ὑλικοῖς) et terrestribus speculationibus. Ceterum quemadmodum Adam lege violata fermentum (ζύμην) malitiae et libidinum in se recepit, sic participatione quadam, (κατὰ μετοχὴν i. e. quia participes sunt vel fiunt naturae ejus) qui ex ipso nati sunt, i. e. omne genus Adami hujus fermenti particeps factum est. Deinde naturali quodam progressu (κατὰ προκοπὴν καὶ αὔξησιν) in tantum excreverunt in hominibus libidines peccati, ut fornicationes, immunditiae, comessationes idololatriae et caedes et hujus generis reliquae transgressiones (ἀτοπήματα) inde pullularent, donec malitià totum genus humanum fermentatum esset. hom. 24, 2.

Caput II.

Anima potest liberari, non tamen suapte vi et voluntate, sed gratiae divinae auxilio.

Status, ad quem anima per peccatum est dejecta, universalis est totius hominis depravatio, eoque naturae originali prorsus contraria. Oportet igitur animas converti ac transmutari (ἀλλαγῆναι καὶ μεταβληθῆναι) a praesenti statu in alterum statum et divinam naturam, et fieri novas e veteribus. hom. 44, 5. 8.*) Hanc transmutationem non potest suis viribus anima perficere, sed gratia et divino auxilio eget. Initium tamen ab ipso homine est faciendum. Homo enim non prorsus mortuus est per peccatum, sed partem quamdam divinae imaginis anima etiamnunc retinet, sacras quasi reliquias**), quibus valet ad se attrahere gratiam divinam; sicut infans non valet ad matrem accedere, sed fletu suo et desideriis matrem arcessere. Ad has reliquias imaginis divinae pertinent vires quaedam physicae et morales animae. Physicae: servata est enim in universum ejus natura spiritualis et intellectualis et subtilitas[1]); morales: nam malum in ipsa non est substantiale, sed accidens, idque ab anima ipsa separabile†), manet natura ejus capax boni et mali (δεκτικὴ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ κακοῦ), et mutabilis (τρεπτή), habet libertatem arbitrii, i. e. se ad malum aut ad bonum applicandi facultatem††); quid quod conscientiam et desiderium

---

*) Nieman mag ein anders werden, er enmůsse denne entwerden daz er do ist. Tauler. Schmidt Joh. Tauler p. 117.

**) Orig. de princ. IV, 379. Comm. in Rom. IX, 664. hom. in Lev. IV, 200.

†) Clem. Strom. IV, 605. 641. Orig. de princ. I, 136.

††) Τὸ αὐτεξούσιον, αἵρεσις καὶ ψυχὴ αὐτοκρατορικὴ Clem. Strom. II, 434. 465. V, 731. I, 371. VII, 832. Coh. 90. Orig. de or. 206 de princ. II, 228. III, 246. hom. in Jud. I, 459.

quoddam melioris conditionis, odium quoddam naturale mali, et inclinationem quamdam naturalem ad virtutem*); et, quod imprimis est momento, vires ejus peccato impugnando pares sunt, quamvis non vincendo [2]). Ita veterem ex parte dignitatem anima servavit, et Deo super omnia est cara et desiderata**) [3]). Propterea fortiter pugnantem et viribus naturalibus recte utentem Deus auxilio gratiae suae adjuvat, sine qua purgari perfecte nequit [4]). Sine hac enim non potest statum, in quo est miseriae, cognoscere [5]); vel terrestribus et humilibus rebus implicata, vel certe naturalia tantum bona producens, non potest praestare perfectum et purum opus [6]). Plantare quidem valet, sed non fructus dignos proferre; pugnare quidem, sed vincere peccatum et radicitus exstirpare solius gratiae est †) [7]).

1) Adhuc enim vel nunc in scientia, prudentia, dilectione et fide reperitur (anima) et manifestatur ei dominus: locavit in ea intellectum, cogitationes, voluntatem ac mentem, ducem praecipuum; exstruxit eam praeterea multiplici alia subtilitate, fecit illam mobilem (*εὐκίνητον*), volatilem (*εὔπτερον*), indefessam. Concessit illi, ut momento abire et redire posset. hom. 46, 6.

2) Finge tibi fontem, qui puram aquam emittit, cui substratum est coenum; quando aliquis sentinam turbat, totus fons inqui-

---

*) *Ζητητικοὶ* sumus Clem. Paed. II, 232. *αἴσθησιν θειοτέραν* habemus, Orig. de princ. IV, 303. in Cant. I, 42. c. Cels. VII, 718. 720. 722. hom. in Ezech. XI, 394. in Jerem. VIII, 171. Hanc naturalem hominis ad deum inclinationem Synderesin Taulerus vocat, et principalem animae humanae vim esse statuit, ipsa ratione altiorem.

**) Clem. Coh. 89. Strom. VII, 532. Orig. hom. in Cant. I, 13. hom. in Ezech. VII, 383. Sel. in Prov. 6, 26. p. 8.

†) Clem. qu. d. salv. 947. *ὅτι κατ' αὐτὸν μὲν ἀσκῶν καὶ διαπονούμενος ἀπάθειαν ἄνθρωπος, οὐδὲν ἀνύει· ἐὰν δὲ γένηται δῆλος ὑπερεπιθυμῶν τούτου καὶ διεσπουδακώς, τῇ προσθήκῃ τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως περιγίνεται.* Strom. V, 647. *χάριτι γὰρ σωζόμεθα· οὐκ ἄνευ μέντοι τῶν καλῶν ἔργων· ἀλλὰ δεῖ μὲν πεφυκότας πρὸς τὸ ἀγαθὸν σπουδήν τινα περιποιήσασθαι πρὸς αὐτό.* — Qu. div. salv. 947. *βουλομέναις γὰρ ὁ θεὸς ταῖς ψυχαῖς συνεπιπνεῖ· εἰ δὲ ἀποστατεῖν τῆς προθυμίας, καὶ τὸ δοθὲν ἐκ θεοῦ πνεῦμα συνεστάλη· τὸ μὲν γὰρ ἄκοντας σώζειν, ἔστι βιαζομένου· τὸ δὲ αἱρουμένους, χαριζομένου.* Strom. V, 695. III, 537. VII, 860.

natur et permiscetur quasi malitia; Satanas consensu animae cum ea quasi coalescit, spiritus cum spiritu, ad fornicationem et caedem perpetrandas. Alio tempore anima separata est a malo, et luget quae perfecit, Deique recordatur. Si enim anima semper demersa jaceret in malitia, quo pacto haec facere posset? Satanas enim, tyrannus misericordiae nescius, non sinit hominem poenitentiam agere. hom. 16, 2.

Malitiam hospitem naturae nostrae (*ξένην τῆς φύσεως ἡμῶν*) per primam Adami transgressionem subintroductam (*παρεισδῦσαν*) admisimus; jam longa consuetudine in naturam fere nostram abiit. de elev. ment. 5.

Quemadmodum quum sol lucet, ventus etiam spirat, uterque vero proprium corpus et propriam naturam habet, neque tamen quisquam solem a vento potest separare, nisi Deus ventum sedaverit; sic peccatum cum anima est commixtum, utroque nihilominus propriam naturam servante. Nec potest quisquam separare animam a peccato, nisi Deus, qui peccatum potest auferre. hom. 2, 2.*)

Natura nostra est mutabilis, tam ad vitia inclinans, quam ad honestum; et ita apta, quascumque libuerit actiones perficere. Capax est boni et mali, divinae gratiae et potestatis diabolicae; necessitati tamen non potest subjici. hom. 15, 25.

Natura Adami est mutabilis tam in bonum, quam in malum, capax quidem mali, quod tamen, si vult, perficere non cogitur. hom. 26, 5.

Homo ejusmodi est indolis, ut, etiamsi in profundum nequitiae mare demersus sit, emergere tamen possit et ad bonum se convertere. hom. 15, 35.

---

*) Malum in anima nostra bono similiter admixtum est, vel potius juxta se posita sunt ambo, sicut in natura rerum Deus et Satanas se tangunt, illaeso per malum bono: Si sol hic, quae est creatura, illustrans loca coeno plena, nihil laeditur; quanto magis Deitas, si cum Satana est, (*τὸ θεῖον συνὸν τῷ σατανᾷ*) nec inquinatur, nec polluitur. — Si quis dicat, proprium locum habere Satanam, proprium quoque Deum, circumscriptum hunc facit, et fines habentem illo certe loco, quem Satanas habitat. Quo jure vero dicimus, bonum infinitum esse et incomprehensibile, et omnia complecti, nec tamen a malo infici? Eodem modo, quo coelum, et sol et montes in Deo ipso sunt et per eum consistunt, nec tamen ipsa Deus sunt. Opificia omnia suo ordine sunt constituta, et opifex, qui cum illis est et in illis, Deus est. hom. 7, 2.

Deus et angeli ejus hominem in suo regno civem facere cupiunt; ex altera parte diabolus et daemones ad se pertrahere tentant. Media est igitur anima inter duas substantias, et in quam partem libera voluntate se confert, ejus fit propria. hom. 26, 24.

In peccato demersus homo, et se Diabolo, a quo omnia damnantur, tamquam vas et instrumentum concedens, non ad malum perpetrandum necessitate quadam devinctus est, sed habet liberum arbitrium ad vasa vitae et electionis transeundi. hom. 15, 40.

Tu vero propterea ad imaginem et similitudinem Dei factus es, quia, quemadmodum Deus sui juris est (*αὐτεξούσιος*) et quod vult facit, sic tu quoque tui juris es, et, si velis perire, mutabilis naturae (*τρεπτῆς τῆς φύσεως*). Si mens tua velit resistere atque oppugnare peccato (*νοῦς ἀντίπαλος*), poterit firmo proposito (*ἐρρωμένῳ λογισμῷ*) impetus malitiae vincere et turpes libidines. hom. 15, 23.

Illa libertas voluntatis, quae in hominis viribus inest, in eo sita est, quod potest diabolo resistere (*ἀντιστῆναι*), non quod perfectum in libidines imperium obtinuerit. Ps. 127, 1. hom. 25, 1.

Homo promptitudinem (*τὴν ἐπιτήδευσιν*) animi naturâ habet, et hanc Deus postulat. Jubet igitur, ut primum cognoscat, dein, ubi cognovit, diligat et voluntate se applicet. Illud vero volenti et credenti gratia largitur, ut mens incitetur (*ἐνεργηθῆναι*), laborem ferat et opus perficiat. Voluntas igitur hominis est adjutorium quoddam, quod in ipsius persona (natura) situm est (*παράστασις ὑποστατική*); quae nisi adest, nec ipse Deus aliquid operatur, quamvis possit, ne liberum arbitrium tollatur. Id igitur in hominis voluntate situm est, ut opus incipiat, a Spiritu perficiendum (*ἡ τελεσιουργία τοῦ πνεύματος*). Quodsi omnem voluntatem operi impendimus, Deus admirabilis in omnibus rebus totum opus nobis adscribit. — Attamen homo si laborat et se exercet operando quod bonum est, Dominus clam in ipso operatur, ut cor defatigatum et attritum recreet et consoletur; quemadmodum ferrum, quo scinditur, secatur, aratur, plantatur, ipsum quidem aliquid efficit, sed alieno tantum impulsu; alius est enim, qui movet et agitat, attritumque flammis acuit et renovat. hom. 37, 10. 11.

Si Dominus sive Satanas hominem per vim invitum traherent, non esset homo ipse sibi causa sortis suae malae aut bonae, nec poena vel praemio jure afficeretur. de pat. et discr. 12.

Mens ad pugnandum apta (*ἀντίπαλος*) est, et pares adversus

peccatum vires habet (*ἰσόῤῥοπον δύναμιν πρὸς τὴν ἁμαρτίαν*), ut cogitationibus possit oppugnare et resistere. Quodsi dicis, potentiam hostilem potentiorem esse, et peccatum prorsus in hominem dominari, Deum injustum facis, qui condemnet humanam naturam, propterea quod Satanae obedierit, quod evitare non potuit, cum fortior est et vi irresistibili (*ἀναγκαστικῇ δυνάμει*) hominem sibi subjicit. Certamen autem et pugna sola aequalitate virium fieri potest (*ἐν ἰσοδυναμίᾳ κεῖται*). hom. 3, 6. cf. hom. 15, 23.

Conscientia non approbat cogitationes, quae peccato obtemperant, sed statim arguit. hom. 2, 15. Neque mentitur, scimus enim, quid dictura sit coram Deo die judicii, quod scilicet sine intermissione nos reprehenderit (*ἐλέγχουσα*). hom. 15, 24.

Voluntas animae est, membra corporis a detrimento, quod a contagione sensuum errantium capiunt, intacta servare, seque ipsam negotiis mundi non sinere distrahi; et cor custodire, ne in mundum extendat membra cogitationum suarum, sed ea colligat et contineat, a curis vilibus et voluptate coercens. Talibus studentem et fortiter pugnantem ad altiora consequenda Deus gratiae auxilio non deseret. de elev. ment. 3.*)

Anima, quamdiu vitiis dedita est, cum illis quasi coaluit, et quamquam libero arbitrio non privata, non potuit tamen facere, quod libuit. Rom. 8, 19. de lib. ment. 12.

Quemadmodum, si quis videt avem volantem, volare et ipse cupit, nec tamen, quia alis eget, potest; ita homini inest voluntas, ut sit purus, irreprehensibilis, incontaminatus, nec habeat in se quicquam malitiae, potius semper cum Deo conversetur; sed quia viribus caret, non valet**). hom. 2, 3.

---

*) Orig. de princ. III, 277. 280.

**) Wer vernunft schiltet, der důt ir gar unreht nach einer wise, wan alle creaturen begerent lebens, und so danne die vernunft bekennet, daz alle zitlichen dinge dôtlichen sint, und alleine got ir leben ist, so můs sů sich von not zů got keren, wan sů von natur begert lebens; und es ist der vernunft vil naturlicher daz sů sich kert zů got wan zů den creaturen, wan alle creaturen můgent sů nit erfullen, mer got allein; und dovon ist es naturlich daz sů sich kert zů dem der ir gibet wan zů dem der ir nymmet. Daz der mensche die creatur welet und got lat, daz geschiht nit mit vernunft; wan were vernunft da, es geschehe niemer; waz die creature welet fůr got, daz důt die synnelichkeit und nit die vernunft; und darumb sprichet David: jr sůllent nit werden

Qui animam suam, eo quod voluntati ipsius non obtemperat, subjugat, qui cupiditatibus in ipsius corde grassantibus succenset, hic postea, gratia Spiritus Sancti accepta, purum hominem induit, et se ipso praestantior fit. hom. 15, 35.

Sunt, qui peccato et malitiae serviant libentes (κατὰ προαίρεσιν), sunt qui inviti (παρὰ πρ.) Libentes serviunt, qui voluntatem suam malitiae dediderunt, illaque delectati, amicitiam cum ea ineunt; qui pacem cum Satana habent, nec resistunt cogitationibus suis. Inviti serviunt, qui sentiunt quidem in se ipsis, in membris suis peccatum rebelle (Rom. 7, 23.) et obscuram quandam vim, velamen quoddam tenebrarum, non tamen consentiunt in cogitationibus, nec hoc delectantur, sive obtemperant, sed contradicunt et oppugnant, irascuntur sibi ipsi: hi Deo judice longe sunt illis praestantiores et digniores. hom. 27, 2.

3) Cognosce ergo dignitatem tuam: Deus ipse cum exercitu suo angelorum et sanctorum surrexit, (ut pro te pugnaret adversus diabolum,) ipse munere te redimendi a morte fungi voluit. Bono igitur esto animo, et perpende, quantum tui gratia opus divina providentia susceperit. hom. 15, 30.

Quanta igitur est anima, quantis a Deo honoribus affecta! Siquidem Deus ipse et angeli eam cupiunt in suum regnum ad suum consortium pervenire. hom. 15, 44.

Nobis ita cogitandum est: si Dominus, cum in hunc mundum descendisset, caecorum, paralyticorum, surdorum medicus fuit, eosque sanavit; si mortuos jamjam putredine corruptos in vitam revocavit; quanto magis caecitatem animae, pigritiam, incuriam, surditatem sanabit. Quemadmodum enim corporis creator est, ita animam quoque condidit. Si tanta misericordia rebus perituris et mortalibus consuluit, quanto magis immortali animae, iniquitatis et ignorantiae morbo laboranti, succurret. de elev. ment. 11. hom. 4, 25.

Voluntas Dei, ad quam attendere apostolus nos jubet, perfecta a peccato purgatio est, libertas ab affectionibus turpibus, ut denique ad summum virtutis fastigium perveniamus. Hanc ipse perficiet sanctificationem cordis ope et auxilio divini Spiritus, quem nobis concedit. de perf. in Spir. 2.

---

also die pfert und die mul in den keine vernunft ist. Und wer die creature welet für got, der ist nit ein vernünftig mensche, mer er ist ein unvernünftig tier. etc. (Tauler Schm. 110.)

Quodsi quis dicat: licet omnia praestiteris, quae praescribuntur, nihil tamen perfecisti, si gratia, quam exspectas, denegatur, fallitur, et divinas scripturas mendacii arguit. In Deo enim non est injuria, ut, si quae nostra sunt perfecerimus, ea, quae ipsius sunt, negligat et deneget. de pat. et discr. 8.

Propter animam a virtute desciscentem dolent et lugent omnes sancti et spiritus intellectuales; angeli, potestates, apostoli, prophetae, martyres. Quemadmodum enim gaudium est in coelo de uno peccatore poenitentiam agente, Luc. 15, 7. ita tristitia multa est et luctus in coelo de quavis anima, quae excidit vita aeterna; lugent et lamentantur omnes sancti, sicuti in terris virum magnum et locupletem deflere solent fratres. hom. 15, 3.

4) Ne quis in eum errorem incidat, illuminationem spiritualem nil esse, nisi intellectus illuminationem, cognitionis humanae sola efficacia productam. de lib. ment. 21.

Propria virtute e certamine, ex errore cogitationum et affectuum invisibilium, ex machinationibus Satanae nemo se liberare potest. hom. 21, 4.

Fieri nequit, ut aliquis super serpentes et basiliscos incedat et leonem et daemonem conculcet, nisi antea purgaverit se, ad quod opus perficiendum virtutem a Deo debet accipere. Luc. 10, 9. Neque enim valet natura humana sine armatura Spiritus insidiis diaboli resistere. Rom. 16, 20. 2 Thess. 2, 8. Mth. 6, 13. Nisi melioris auxilii ope ab ignitis Satanae telis liberati simus, et *υἱοθεσίαν* acceperimus, frustra militamus, quia longe a Dei virtute remoti sumus. hom. 25, 2.

5) Homo bonas et puras cogitationes malitiae tradidit, quae obrutae luto peccati in idolum conversae sunt, sicuti aurea vasa Israelitarum, quae in ignem conjecerunt. Quomodo vero aliquis poterit illas cognoscere, discernere et ex igne malitiae extrahere? In his divino lumine anima opus habet, Spiritu nempe Sancto. hom. 11, 3.

6) Quinque sobriae ac prudentes virgines, quae praemio afficiebantur, hae sunt, quae hospitem naturae suae ardenter desiderantes (*γοργευσάμεναι τὸ ξένον τῆς ἑαυτῶν φύσεως*), in vasis cordis sui oleum receperunt, i. e. caelestem Spiritus gratiam. Reliquae stultae in sua propria natura perstiterunt, non vigilarunt, nec curarunt, ut oleum exultationis in vasis suis reciperent, sed obdormiverunt.

Animae scilicet in sua natura permanentes cogitationibus suis humi repunt, humana sectantur, humi mens illarum domicilium habet. hom. 4, 6.

Si auditis de regno Dei sermonibus ad pias commovemur lacrymas, in his non acquiescamus tamquam nostris, neque eas tribuamus vel auribus nostris, quod bene audierint, vel oculis, quod bene viderint; nec putemus, nos sufficiens aliquid perfecisse. Aliae enim sunt aures, alii oculi, aliae lacrymae, quemadmodum mens et anima alia; divinus nempe Spiritus audiens et flens, orans et cognoscens, voluntatemque Dei in veritate exequens. Ille igitur orabit, ille flebit. Rom. 8, 26. de char. 11.

Ea quae te ipso auctore (tua sponte tuisque viribus) facis, honesta quidem sunt et Deo accepta, sed non pura. Diligis Deum, sed non perfecte: venit dominus et concedit tibi dilectionem immutabilem caelestem; precaris naturaliter, occupationibus tuis et cogitationum varietate distractus: confert Dominus tibi precationem puram in Spiritu et veritate. hom. 31, 4. Etiamsi pluries colonus agrum exerceat et purget, semper tamen spinae pullulant. Post transgressionem Adami ager cordis spinas et tribulos producit; excolit homo, exercet, adhuc tamen spinae pravorum Spirituum progerminant; donec Spiritus Sanctus caeleste semen spargat, et sensim ac paulatim, non celeriter nec subito, spinae gratiae aestu exsiccentur. hom. 26, 21.

7) Omnium fere, quas videmus, rerum ea est conditio, ut nisi iis subveniat alienae naturae auxilium, quantum in ipsis est, inutiles sint et informes. Inde vides, humanam etiam naturam, si sibi sola relinquitur, esse insufficientem, nec posse perfectum sibi virtutum ornatum acquirere, nec spiritualem sanctimoniae decorem, nisi divinae manus auxilio fruatur. Terra, si in naturali permanet conditione, inutilis est nec sufficit ad fructus perferendos, nisi agricolarum artibus et laboribus praeparetur, nisi imbres et solis radii cooperentur. Ita quaelibet domus, ut habitabilis fiat, eget luce solari, quae est natura aliena; qua si caret, tenebris obvoluta nulli usui est. Ita natura humana per se inutilis est et impotens ad fructus virtutum perfectos proferendos; indiget opera spiritualis animorum agricolae, qui est Spiritus Christi, naturâ a nobis alienus; nos enim creaturae, ille increatus. de char. 19. hom. 26, 19.

Peccatum, et mala hoc sequentia, radicitus evellere, divinae

solius virtutis opus est. Non licet enim homini, neque potest propriis viribus peccatum exstirpare. Reluctari quidem, oppugnare in tuis viribus est, eradicare solius Dei. Si hoc enim praestare in tua potestate situm esset, quid opus fuisset adventu domini? Sicuti non valet oculus sine luce videre, nec potest aliquis sine lingua loqui, sine auribus audire, incedere sine pedibus, laborare sine manibus, ita sine Jesu salvari et regnum caelorum ingredi nemo potest. hom. 3, 4. de elev. ment. 15.

Deus, qui hoc corpus creavit, non dedit ei vitam habere ex propria ipsius (corporis) natura, nec cibum, nec potum, nec indumenta; sed corpus per se creavit nudum, et ita formavit, ut aliunde, ex illis quae extra ipsum sunt posita, cibum, potum et vestimenta sibi comparare debeat, sine quibus ipsum per se, i. e. per suam naturam, vivere non potest; quodsi per se, sua propria indole subsistere velit, interit ac corrumpitur. Eodem modo anima non ex propria natura (est enim, quamvis ad Dei imaginem creata, naturâ lumine divino destituta), sed ex ipsius Dei deitate, ex ejus spiritu, ex ejus lumine, cibum et potum spiritualem et vestimenta spiritualia sumit, quae est vera animae vita. hom. 1, 10.

Mirati sumus in hac animae lapsae descriptione imprimis rationem, qua Macarius purae naturae reliquias cum malo, extrinsecus ingresso, conjunctas esse dicit; quae propria est huic auctori, quam in nullo patre ecclesiastico reperisse meminimus. Distinere enim et disjungere utrumque conatur eadem fere ratione, qua Manichaei animam puram ab impura separant, quarum altera alteram tangere et laedere nequeat. Huc pertinent eae comparationes, in quibus animam dicit similem esse fonti, aquam puram ebullienti, cui subsit coenum; quodsi turbatur, coenum cum aqua miscetur, si tranquilla est, illud relabitur, et aqua pura remanet; et malum cum bono ita in anima esse, quemadmodum Deus cum Satana sit in mundo praesens ita, ut alter ab altero non possit affici nec infici. Id quo modo concinnari possit cum illis locis, in quibus substantiam hominis corruptam esse penitus statuit, et omnia membra a peccato corrosa, alii videant. Similem doctrinam apud nonnullas earum sectarum mysticarum reperimus, quae a Manichaeis pro-

fectae medio aevo exstiterunt, Catharorum nomine insignitae*). Illi etiam theologi mystici, qui acosmismum profitentur, similiter statuisse videntur; bonum scilicet et divinum in homine quasi semen illaesum manere a peccato, et omnia, quae cum hoc cohaereant, ipsum etiam corpus, sensim abjici, donec purus homo spiritus evadat**). Facile vero videmus, quid negotii gratiae ita tribuatur, scilicet ut refocillet quaecumque in homine pura sunt, cumque illis mixta, de irreptitiis peccati elementis victoriam denique reportet.

---

*) Taulerus quoque hac in re ab Augustino recedit; Adami peccato justitiam originalem interiisse statuens, humanamque naturam mutatam, sed non prorsus corruptam esse. Bona ejus indoles illaesa mansit, nec, praeter inclinationem pravam, aliud quidpiam ab Adamo ad posteros transiit. Nos quoque non necessitate quadam naturali, sed libero arbitrio peccamus; peccatum a natura humana alienum est, contra naturam; haec enim per se bona est et nobilis, bonum amat, malum aspernatur et odit. (Schm. p. 104.)

**) Hanc tamen sententiam, quam inde a primis temporibus ecclesia Christiana, tamquam haereticam, jure repudiavit, Macarius non profitetur; corpus non dicit esse prorsus corruptae substantiae, non omnia in ipso mala, caduca, mortalia; sed germen quasi inesse et nucleum vitae aeternae, quo fiat, ut corpus quoque in resurrectione glorificari et aeterno splendore indui possit. Hoc admodum premit (nam saepissime explicat), in corpore esse immortale aliquid et aeternae gloriae particeps futurum. Sic sanam ecclesiae doctrinam in hoc non minimi momenti dogmate servavit.

Caput III.

De operatione gratiae.

Gratiae operatio primum historica est; vario enim modo Deus homines praeparavit in V. T.*), dein filium suum misit, qui incarnatione sua**), obsequio et morte expiatoria homines redemit [1]). Praeterea gratiae operatio est interna et mystica; est scilicet efficax in nobis Christi inhabitatio †), est naturale quidpiam et substantiale, cum hominis natura coalescens, vis quaedam Dei concreta, non mentis abstracta fictio [2]). Eaque vis non cogens, sed potenter impellens [3]). Fermentum est, in animo hominis positum, et inde totam sensim naturam penetrans, non tollens naturalem hominis indolem, sed purgans, augens, sanctificans [4]). Haec gratia nos restituit in integrum, i. e. in pristinum statum puritatis, regenerat ad imaginem Dei [5]) ††). Ad hoc fastigium per gradus nos perducit, secundum dispensationem (*οἰκονομίαν*) divinam [6]); ita, ut animae naturalem imperfectionem compenset [7]), animae medeatur, a mundano eam amore et labore, a Satana et morte liberet et

---

*) *Καθ' ἕνα ἕκαστον τρόπον ποιότητός τε καὶ ποσότητος πάντως σώζει τινὰς ἔν τε τῷ χρόνῳ, ἔν τε τῷ αἰῶνι· ὅτι πνεῦμα κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην.* Clem. Strom. I, 332. 337.

**) Quaevis manifestatio Dei, qua hominibus se notum facit, *μείωσις* est et condescensio ejus, qua ad captum humanum se demittit. In omnibus, quae ad redemtionem pertinent, Deus se ipsum contrahit et quasi in corpus fingit (*σωματοποιεῖ*) in theophaniis V. Ti, in Christo, in scriptura sacra Deus apparet forma corporea, ut hominibus, puram Deitatem non capientibus, sub visibili forma cognoscendum se praebeat. Haec est ampla admodum et lata incarnationis divinae apud Macarium notio. Apud Clementem quoque *ὁ λόγος* est *Θεὸς ἐν ἀνθρώπου σχήματι.* Paed. 1, 99.

†) Clem. Coh. 5. Orig. de princ. III, 321.

††) Clem. Strom. IV, 633. 635. V, 654. 684. VII, 831. Coh. 91.

extricet[8]); edoceat, dirigat[9]), ditet et experientiam ei et gustum quasi divinorum bonorum suppeditet[10])*).

Gratia ad sanctificationem hominum adjutore adeo utitur diabolo, a quo mala omnia derivanda sunt; *ἐπέτρεψε γὰρ ὁ Θεὸς εἶναι τὸ κακὸν εἰς γυμνασίαν ἀνθρώπων* (hom. 7, 2.) — *συνεργεῖ τὸ κακὸν τῷ ἀγαθῷ προαιρέσει οὐ καλῇ***). (de cust. cord. 12. de pat. et discr. 6.) Satanae scilicet Dei dispensatione permittitur, ut homines vexet et tentet (morbis, afflictionibus etc.); sic illis occasio praebetur, vires exercendi et, martyrum instar, patientia et perseverantia aeternam gloriam sibi comparandi†); sic ad novam semper vigilantiam excitantur; sic defaecantur quasi et purgantur et ad aeternam vitam praeparantur; sic exercetur liberum eorum arbitrium, sic probatur voluntas, et manifestatur fidei et amoris constantia[11]).

1) Rex et filius regis consilium iniit cum patre suo, missumque est Verbum (*ὁ λόγος*) ac carnem induit, et occultans suam ipsius deitatem, ut per simile simile servaretur, animam suam in cruce exspiravit. hom. 15, 44.

Tantis vulneribus homo affectus est, ut nemo eum sanare possit, nisi solus Dominus, qui veniens sustulit peccata mundi (Joh. 1, 29.) i. e. impurum illum fontem cogitationum animae exsiccavit. Moses quidem venit, sed sanitatem perfectam conferre hominibus non potuit. Sacerdotes, munera, decimationes, sabbata, novilunia, ablutiones, sacrificia, holocausta, et quae sunt reliqua

---

*) Taulerus gratiam definit: Ein Licht, das Gott schöpfet in ihm selbst, und es giesset in die Seele, und damit die Seele ziehet von Leiblichkeit in die Geistlichkeit, und von Zeit in die Ewigkeit, von Manchfaltigkeit in Einfältigkeit. (Schm. p. 111.)

**) Malum quidem non a Deo, nec tamen sine Deo Orig. de princ. III, 28. *κἂν συγχρήσηται τῇ κακίᾳ τῶν φαυλῶν εἰς τὴν διάταξιν τοῦ παντὸς ὁ Θεὸς, κατατάσσων αὐτοὺς εἰς χρείαν τοῦ παντός.* c. Cels. IV, 356. Deus non solum bonis utitur ad opus bonum, sed et malis. hom. in Num. XIV, 323. Cf. egregium Augustini librum de ordine.

†) Similiter Wesselus explicat, cur Deus Satanam toleret. Sic Taulerus quoque Satanam ejusque vexationes, quid quod peccata cooperari docet ad hominis securitatem et superbiam frangendam, ejusque perfectionem stabiliendam, ita ut peccatis adeo homo gloriari et pro iis Deo gratias reddere debeat. (Schm. p. 135.)

opera justitiae legalis, non potuerunt animam sanare ac purificare; donec venit Salvator, verus medicus, qui gratis sanat, qui eo, quod se ipse pro humano genere in pretium redemtionis dedit, solus magnam et salutarem animae redemtionem et sanationem operatus est. Ipse enim animam a servitute liberavit, et ex tenebris eduxit, sua eam luce illustrans. hom. 20, 5. 6. 44, 3.

Omnia vulnera animae prorsus sanantur per insontis Salvatoris passionem, quae ignis instar, ferrum expurgantis et aurum ab aere secernentis, animam, a Spiritu Sancto inflammatam, ab omni libidine et peccato liberat. de pat. et discr. 9.

Quemadmodum umbra corporis ex ipso quidem corpore nascitur, sed muneribus corporis fungi nequit, nam non potest vulnera alligare, nutrimenta porrigere, vel loqui; sed ex ipso corpore nascitur, et antecedens corpus ejus praesentiam declarat; ita vetus lex est umbra Novi Testamenti. Praefigurat haec umbra veritatem, sed munus Spiritus non obtinuit. Non enim potuit Moses, carne indutus, in cor penetrare, ibique sordida tenebrarum indumenta auferre; spiritus ex spiritu solus, ignis ex igne, vim pravarum tenebrarum frangit. Circumcisio igitur V. Ti. significat et praeformat veram circumcisionem cordis appropinquantem, et baptisma legis adumbrat rerum realitatem; illic enim corpus abluebatur, baptisma vero ignis et Spiritus animum inquinatum purgat et abluit. Illic (in V. To.) sacerdos, imbecillitate quasi indutus, in sanctuarium ingressus, pro se et pro populo victimam obtulit; hic verus pontifex Christus semel ingressus est in tabernaculum ἀχειροποίητον, ad altare caeleste, paratus eorum, qui ipsum implorant, — contaminatam purgare conscientiam. etc. hom. 32, 4. 5.

Omnes homines vult Dominus ad hanc regenerationem ex Spiritu pervenire, pro omnibus enim mortuus est, et omnes ad vitam vocavit. hom. 30, 3.

Ego, inquit Dominus, sum verus medicus*) et bonus pastor, qui trado animam meam pro ovibus, qui possum sanare omnem

---

*) Non tantum animae, sed etiam corporis: Corpus plus est, quam vestimentum, et anima plus, quam corpus Mtt. 6, 25. Si igitur credis, animam tuam Christi medela liberari a continuis et immedicabilibus vulneribus libidinum, credere etiam debes, corpus per eandem in sanitatem restitui. Quodsi vere credis, noli ad terrenos medicos confugere in morbis corporis, sed

morbum et omnem imbecillitatem animae. Ego sum immaculata ovis, quae semel oblata est, et qui ad me accedunt, iis medelam afferre possum. Vera enim sanatio a solo Domino proficiscitur. Joh. 1, 29. hom. 44, 3.

Serpens ille aeneus, vita carens, prae vivis excelluit, ut typus sit corporis Domini. Corpus enim, quod assumsit ex Maria, exaltavit in cruce, suspendit et ligno affixit; et ita serpentem in corde viventem et repentem corpus mortuum vicit et occidit. — Quemadmodum Moses novum opus fecit, cum ad similitudinem vivi serpentis aeneum effingeret, sic Dominus quoque novum figmentum ex Maria condidit, et hoc induit, non autem attulit corpus e caelo. Spiritum caelestem, qui Adamo fuerat inflatus, condidit, et hunc temperavit divinitate (*συνεκέρασε τῇ θεότητι*) et induit carne humana, et in utero formavit. Sicut igitur serpentem aeneum ad Mosis usque tempora Deus in mundo fieri non jussit, ita corpus novum et peccati expers usque ad Dominum in mundo non apparuit. hom. 11, 9.

Deo placuit, ut descendens e sanctis coelis, naturam tuam rationalem assumeret (*συμπεριέλαβε τὴν φύσιν σου τὴν λογικήν*), carnem scilicet terrenam, quam divino Spiritu suo temperavit, ut tu quoque terrenus caelestem susciperes animam. hom. 32, 6.

Thronus deitatis est mens nostra, et vice versa thronus mentis nostrae est deitas et spiritus. Similiter Satanas ejusque principes et satellites tenebrarum post transgressionem occuparunt cor et mentem et corpus Adami, tamquam thronum suum. Propterea advenit dominus et assumsit ex virgine corpus. Si enim in sola deitate descendere voluisset, quis potuisset ferre? Per instrumentum vero corporis loquebatur cum hominibus; ita spiritus malitiae detrusit thronis intellectus et cogitationum, quos occupaverant, et expurgavit conscientiam Dominus, et sibi thronum proprium resti-

---

ad solum Christum, qui, quemadmodum animam et corpus creavit, ita potest utrumque sanare et immortalitati restituere. Quodsi dicas, Deum ad sanandum corpus pharmaca et herbas et medicos hominibus concessisse, bene dicis. Sed morbis per peccatum in hominum genus ingressis, haec Deus dedit, ut illi etiam solatium haberent, qui se totos Deo confidere non valent. Qui vero ad Christum accessit, filius Dei esse et caelitus Spiritu renasci cupit, is a nemine hominum ne corporis quidem salutem quaerere debet. hom. 48, 3 — 6.

tuit, mentem et cogitationes et corpus. hom. 6, 5. (Est vetus illa sententia, quae omnibus fere patribus ecclesiae est communis, Christum eo hominem salvasse, quod omnes partes ejus assumserit et induerit, et ita in suo corpore peccatum superaverit et humanitatem sanctificaverit: τὰ προςληφθέντα σωθέντα).

Deus primum quidem per prophetas animam ad se convertere studebat, arcessens eam et ad sui cognitionem attrahens (εἷλκε). Postremo ipse adveniens et apparens, oblivione eam liberavit et errore. Denique ipsas inferni portas perrumpens, in animam, huc illuc errantem, descendit, se ipsum exemplar ei proponens, per quod facile posset ad aetatem virilem, ad perfectionem Spiritus pervenire. de pat. et discr. 18.

Quemadmodum anima membra corporis sibi circumdat et induit, (oculum, per quem videt etc.) cumque illis penitus commiscetur, et vitae muneribus fungitur; ita ineffabilis et incomprehensibilis Christi misericordia se ipsam contrahit ac parvam facit, et quasi in corpus fingit (σωματοποιεῖ), atque se immiscens fideles et amicas sibi animas amplectitur, et coalescit cum ipsis in unum Spiritum; (1 Cor. 6, 17.) anima in animam, hypostasi in hypostasin coalescente. (Incarnatione Christi efficitur, ut unio cum illo mystica fieri possit.) de elev. m. 6. Deus, qui omnes fines et intellectum nostrum longe transscendit, per misericordiam suam se ipse exinanivit, et quasi retraxit ab inaccessa gloria, ac per benevolentiam et comitatem suam, transmutata forma, assumsit corpus, cum quo se commiscens animas sanctas et fideles amplectitur. hom. 4, 9.

Lex enim primum verbo ἀνυποστάτῳ homines edocebat, grave ipsis et portatu difficile onus et jugum imponens, auxilio ferendo inepta, quia virtutem Spiritus conferre iis non valuit. Rom. 8, 3. Inde a tempore adventus Christi (τοῦ λόγου ὑποστατικοῦ) ostium gratiae credentibus vere apertum est, Deique virtus et Spiritus Sancti efficacia ipsis suppeditatur. de lib. ment. 11.

2) Quemadmodum est operatio spiritus libidinum, erroris et peccati, qui hunc mundum exercet, et in homine habitat; ita est etiam operatio Spiritus lucidi in homine sanctificato. 2 Cor. 13, 3. Gal. 2, 20. 3, 27. Joh. 14, 23. Nec haec inest dignis hominibus obscure vel otiose, sed in virtute et veritate. de lib. ment. 11.

Divina trinitas habitat in anima pura, eamque divino auxilio auget; inhabitat, non qualis per se est (καθ' ὅ ἐστιν i. e. οὐσιωδῶς),

ita enim non potest a creatura qualicumque comprehendi, sed in quantum homo aptus et capax est, (*καθ' ὅσον ὁ ἄνθρωπος ἐπιτηδείως καὶ δεκτικῶς ἔχει.*) de char. 28.

Spiritus irradiatio (*ἡ τοῦ πνεύματος ἔλλαμψις*) non solum est cogitationum quaedam revelatio et illuminatio gratiae (*νοημάτων ἀποκάλυψις καὶ φωτισμὸς χάριτος*), sed est substantialis et realis lucis in animas certa et continua emanatio (*ὑποστατικοῦ φωτὸς ἐν ταῖς ψυχαῖς βεβαία καὶ διηνεκὴς ἔλλαμψις*). 2 Cor. 4, 6. Ps. 12, 4. 13, 3. 118, 18. 4, 7. Illa, quae beatum Paulum dicitur circumfulsisse lux (Act. 9, 3.), per quam sublatus est in tertium caelum et mysteriorum ineffabilium auditor factus, non intellectus et cognitionis erat illuminatio, sed virtutis boni Spiritus substantialis in anima irradiatio (*δυνάμεως τοῦ ἀγαθοῦ πνεύματος καθ' ὑπόστασιν ἐν τῇ ψυχῇ ἔλλαμψις*); cujus abundantem splendorem oculi carnis non ferentes, excaecati sunt, per quam omnis scientia (*γνῶσις*) revelatur et Deus dignae animae et dilectae, qualis est, innotescit. de lib. ment. 22. 23.

Cum Maria, quae eum diligebat, ejusque pedibus advoluta sedebat, non simpliciter verba communicabat, sed virtutem quandam occultam (*δύναμίν τινα κρυφιμαίαν*) ex sua ipsius substantia (*ἐκ τῆς αὐτοῦ οὐσίας*) illi impertivit. Sermones enim, quibus Deus Mariam in summa tranquillitate alloquebatur, spiritus erant et virtus quaedam. Hi sermones penetrabant cor, anima animam, spiritus spiritum, et virtus divina in corde Mariae perfecta fiebat. Haec enim virtus, quocumque, ut resideat, penetrat, necessario fit possessio quaedam, quae auferri nequit. hom. 12, 16.

Gratia sine intermissione in anima adest, ibi radices agit, et fermenti instar operatur a tenera aetate; est tamquam naturale quidpiam et coalescens, quod homini inhaeret et in substantiam quasi abit (*ὡς φυσικὸν καὶ πηκτὸν ἐγένετο αὐτὸ τὸ συνὸν τῷ ἀνθρώπῳ, ὡς μία οὐσία*). hom. 8, 2.

Operatio divina est caelestis lucis in revelatione et virtute Spiritus irradiatio (*ἡ ἐπουρανίου φωτὸς ἐν ἀποκαλύψει καὶ δυνάμει τοῦ πνεύματος ἔλλαμψις*). de lib. ment. 21.

3) Gratia, ad hominem veniens, non ligat ejus voluntatem vi quadam irresistibili (*ἀναγκαστικῇ δυνάμει*); nec volentem nolentem ipsum bono adstringit, ita ut inde amoveri nequeat, (*ποιεῖ ἄτρεπτον ἀγαθοῦ*); sed dat locum libero arbitrio vis divina in homine operans, ut manifestum fiat, utrum hominis voluntas animam magni fa-

ciat, necne, consentiat, necne. Naturae enim lex non est imposita (οὐ κεῖται νόμος), sed potius libero arbitrio, quod ad bonum et ad malum se vertere potest. Vult dominus accendi coelestem ignem in cordibus hominum (Luc. 12, 49.), horum vero nonnulli volunt, nonnulli nolunt. Mth. 23, 37. de cust. cord. 12.

Sicut potentia hostilis (ἡ ἐναντία δύναμις), ita divina etiam gratia propellit quidem (προτρεπτική), sed non cogit (ἀναγκαστική), ut revera (ὄντως) libertas arbitrii servetur. Propterea eorum malorum, quae homo a Satana inductus perpetrat, poenae non a Satana exiguntur, sed ab ipso homine; non enim vi coactus, sed suapte voluntate motus, malitiae assensit. Similiter, si bona fecerit, successum non sibi gratia tribuit, sed homini, quod ipse boni sibi causa exstitit. Non enim cogente vi gratia voluntatem ejus vinciens immobilem (ἄτρεπτον) facit, sed, etiamsi adest (καὶ συνοῦσα), libero locum dat arbitrio. de lib. ment. 3.

4) Quemadmodum mulier fluxu sanguinis laborans cum fide vera crederet et fimbriam vestis Domini tangeret, sanitatem statim consecuta est, et exsiccatus est fluxus impuri fontis sanguinis; ita quaevis anima, immedicabili vulnere peccati percussa, ac fonte obscoenarum turpiumque cogitationum inquinata, si ad Christum veniens suppliciter eum rogat, eique vere credit, sanitatem desideratam consequitur ab incurabili fonte libidinum; et sensim exsiccatur fons ille immundas cogitationes ebulliens virtute Jesu, solius Jesu. hom. 20, 4. (Peccatum igitur ab anima removetur, sicut morbus a corpore, intacta natura.)

Interrogatio: Utrum, qui accipit virtutem divinam et ex parte mutatur (μερικῶς ἀλλοιωθεὶς), in natura sua permanet? Ut voluntas post acceptam gratiam probetur et examinetur, quo tendat, cui consentiat, natura eadem manet, durus in duritie, levis in levitate; idiota non mutatur in sapientem, nec durus in mollem, nec benignus et mitis in asperum. hom. 26, 5.

5) Per donum Spiritus Sancti (alienum a natura nostra bonum) pestis illa e natura nostra ejicitur, et nos in primaevam puritatem restituimur. de elev. ment. 5.

Velamen, quod Satanas post transgressionem oculis nostris imposuit, gratia veniens et purgans interiorem hominem et mentem nostram, prorsus aufert et omne inquinamentum, omnem turpem cogitationem ab anima removet; volens, ut illa pura sit, et in

originalem conditionem restituatur, in qua claris oculis, sine velamine et impedimento, lucis claritatem intueri valebat. de elev.ment. 13.

Restituit Christus humanae naturae amissam dignitatem Adami protoplasti, praetereaque eam donavit haereditate caelesti. de lib. ment. 34.

Hoc tempore ille, qui creavit corpus et animam, ipse venit et diruit omnia consilia Satanae et opera ejus, quae perficere molitur, et renovat et format imaginem caelestem, novam animam condit, ut Adam denuo fiat rex mortis et dominus creaturarum. hom. 11, 6.

Christianis, qui regnaturi sunt in illo saeculo, nihil novi et inexspectati contingit; jam antea enim mysteria gratiae cognoverunt. Postquam homo transgressus est mandatum, Satanas omnes animas denso velamine operuit; jam vero gratia accedit, et illud velamen divellitur, ita ut dehinc anima pristinae puritati, originali naturae patris, (creatura enim pura et incontaminata fuit) restituatur, et aeternam gloriam veri luminis puris oculis intueatur.

6) Est sensus (*αἴσθησις*), est visio (*ὅρασις*), est illuminatio (*φωτισμός*); qui illuminatione fruitur, major est, quam qui sensu; illuminata enim est mens ejus, quippe qui ad altiorem gradum adscendit (*μείζονά τινα μερίδα ἔλαβε*), quam qui sensum habet; videt in se certitudinem visionum (*πληροφορίαν ὁράσεων*). Sed aliud est (majus) revelatio (*ἀποκάλυψις*), per quam magna mysteria deitatis animae revelantur. Per hanc oculi illuminati vident etiam imaginem animae, sicut nos solem adspicimus; sed id paucis contingit. hom. 7, 5. 6.

Omnia Deo sunt facilia, et animarum dignarum et fidelium gratia in quamcumque vult speciem se transformat. Singulis sanctis patribus ita apparuit, prout voluit et rei conducere censuit, aliter Abrahamo, aliter Isaaco, aliter Jacobo etc., ut illos recrearet (*ἀναπαῦσαι*) et servaret et ad cognitionem sui perduceret. Omnia enim ei sunt facilia, et quando vult, quando ipsi placet, se ipsum imminuens (*μικρύνων*) in corpus transformat (*σωματοποιεῖ*), ut iis, qui ipsum diligunt, conspiciendum se praebeat in gloria inaccessibili lucis; et apparet, immenso et ineffabili amore motus, iis, quos gratia sua et potentia dignos reddidit. hom. 4, 12. 13.

Animae fideli Deus, quoties vult, fit ignis omnia prava consumens, Deut. 4, 24. Ebr. 12, 29.; fit quies, gaudium et pax ineffabilis, eam fovens; incorporat se et fit esca spiritualis, indumentum et

ornatus inenarrabilis splendoris, ut sic eam spirituali laetitia impleat Joh. 6, 44. 51. Ita pro voluntate et utilitate Deus cuivis sacerdotum et sanctorum apparuit: aliter Abrahamo, aliter Isaaco etc.; in corpus se contrahens, et quasi transfigurans, et forma visibili assumta conspiciendum se praebens iis, qui ipsum diligunt; non quantus est (est enim incomprehensibilis), sed quantum illi capere possunt; propter magnum et incomprehensibilem, quo in ipsos ardet, amorem. de elev. ment. 7. 8.*)

Sapientia Dei cum sit infinita et incomprehensibilis, incomprehensibili et impervestigabili modo dispensationes gratiae generi humano exhibet, ut liberi arbitrii voluntas probetur, ut manifestetur, qui toto corde Deum diligant, et omne periculum, omnem laborem Dei gratia sustineant. Non otiose, nec frustra, nec fortuito gratiam suam Deus dispensat (*οὐκ ἀργῶς, οὐδὲ ἀκαίρως, οὐδὲ ὡς ἔτυχεν*). hom. 29, 1.

In ipsa gratia sunt gradus et dignitates. Alius enim est praefectus militum, qui liberum habet ad regem aditum, alius est dux. hom. 16, 12.

7) Adamum Deus creans alas ipsi corporeas, velut avibus, non dedit, utpote cui alas spirituales, qualibus corpora ornata erunt in resurrectione (*κατὰ τὴν ἀνάστασιν*), quibus attollere se et evolare posset quocumque spiritus vellet, dare decreverat. His spiritualibus alis animae sanctorum jam nunc sunt praeditae, quibus ad caelestes cogitationes se elevare possunt. de elev. ment. 2.

Quemadmodum si infans a juvene gestatur, is qui portat, circumfert quo libet; ita gratia, in animae profunditate operans, animum fovet, ad coelos effert, ad mundum perfectum, ad aeternam requiem. hom. 16, 12.

8) Postquam Christus, quae est originalis et naturalis bonitas (*πρώτη καὶ φυσικὴ ἀγαθότης*), donum Spiritus discipulis impertiverat, divina illa virtus, obumbrans eos (*ἐπισκιάζουσα*) et animas eorum inhabitans, medetur passionibus peccati, tenebris et morte ipsos liberat. de lib. ment. 12.

---

*) *Οὐ γὰρ ὡς ἔχει τὸ θεῖον, οὕτως οἷόντε ἦν λέγεσθαι, ἀλλ' ὡς οἷόντε ἦν ἐπαΐειν ἡμᾶς σαρκὶ πεπεδημένους, οὕτως ἡμῖν ἐλάλησαν οἱ προφῆται, συμπεριφερομένου σωτηρίως τῇ τῶν ἀνθρώπων ἀσθενείᾳ τοῦ κυρίου.* Clem. Strom. II, 467.

Si in carnali conjunctione amor separat a fratre, patre et matre, ac reliqua omnia animo aliena (ἐξώτερα) quasi fiunt et ab ipso tamquam aliena diliguntur, omni affectione in conjuge defixa et collecta (Mth. 19, 5. Eph. 5, 31.); si igitur amor carnalis adeo animum ab omni alio amore solvit, quanto magis ii, quos Deus Spiritus Sancti communione vera dignatus est, ab omni amore mundi expedientur, et omnia ipsis superflua et aliena videbuntur. hom. 4, 15.

Dominus venit et verum aeternumque sabbathum attulit; animam, oneribus iniquitatis et immundarum cogitationum onustam et depressam et malitiae opera operari coactam (erat enim in atrocium dominorum servitutem redacta), requiescere jussit et recreavit. hom. 35, 2.

Anima, quae in se caelestem Spiritus Sancti virtutem recipit, omni dilectione mundana solvitur et omni vinculo malitiae extricatur. hom. 4, 13.

Si audis, Dominum illo tempore animas ex Hade et ex tenebris descensu suo in Hadem liberasse, ne longe ab anima tua haec omnia abesse censeas. Detinet enim mors animam Adami, et in tenebris sunt inclusae cogitationes ejus. Et cum audieris de monumentis, ne de rebus visibilibus tantum cogites, monumentum enim et sepulcrum cor tuum est. Ex quo enim princeps nequitiae et angeli ejus illic resederunt, illic vias et semitas quasi muniverunt, quibus ingrediuntur potestates Satanae in mente tua et cogitationibus tuis, nonne Hades et sepulcrum et monumentum cor tuum est, tuque Deo mortuus es? Jam descendit Dominus in animas eorum, qui ad ipsum clamitant, in profunditatem Hadis in corde, et ibi mortem increpat: Emitte animas inclusas, quae me desiderant, quas vi detines. Perrumpit igitur graves lapides animae impositos, aperit monumenta, resuscitat mortuos et educit e carcere tenebroso animam inclusam. hom. 11, 11. de lib. ment. 1.

9) Quotquot filii sunt lucis et ministerii novi Testamenti per Spiritum Sanctum, hi ab hominibus nihil discunt, edocti enim a Deo sunt. Ipsa enim gratia inscribit in cordibus illorum leges Spiritus. Non igitur debent in scripturis, atramento scriptis, omnem fiduciam et spem ponere; sed in tabulas cordis gratia divina inscribit leges Spiritus et caelestia mysteria. Cor enim dirigit ac gubernat universa corporis membra; quodsi in corde gratia dominatur, regit etiam omnia membra, omnes cogitationes. In corde enim

mens haeret, haerent omnes cogitationes et omnis expectatio. hom. 15, 20.

Quemadmodum quae viro nubit mulier, priusquam cum eo conjungatur, proprio vivit arbitrio et, utut libet, sibi consulit; simulatque autem sub mariti manum venit, sub ipso tamquam rerum et actionum omnium moderatore est, nec amplius sibi ipsa prospicit; ita anima etiam prius habuit voluntatem propriam, leges et usus proprios, opera propria; postquam vero caelesti marito, Christo, se tradidit, subjecta est legibus viri, non amplius suam, sed sponsi voluntatem sequens. de char. 14.

10) Qui divinis Spiritus divitiis fruuntur, quando cum aliis spirituales sermones miscent, illas, quasi promentes ex proprio thesauro, cum iis, quibuscum conversantur, communicant. Qui vero non recondiderunt in corde suo talem thesaurum, unde cogitationum divinarum et mysteriorum et sermonum humanum captum transcendentium bona abundantia profluit: vel decerpta tantum quaedam ex utroque Testamento in linguae quasi apice ferunt, vel iis, quae a viris spiritualibus audiverunt, tamquam suis gloriantur, alieno vitulo arantes. Hi sane alios talibus sermonibus delectare possunt, ipsi vero, postquam edixerunt, mendicis similes reperiuntur. Omnia enim ad verum auctorem redeunt, quae ipsi pro suis venditarunt, ipsis in egestate propria relictis, utpote qui thesaurum proprium non possidebant. Quem si haberent, possent non se solum ipsi delectare, sed cum aliis quoque res utiles communicare. de char. 5.

Sine Domino Jesu et Spiritus divini efficacia non datur cognoscere mysteria et sapientiam Dei, nec esse divitem aut Christianum. Tales enim sunt revera divites et sapientes ac philosophi Dei, quorum dirigitur et gubernatur interior homo a virtute divina. Philosophi Graecorum eloquentiam ediscunt, alii vero sunt rudes eloquentiae, sed laetantur et exultant, gratiam divinam possidentes, quia sunt viri vere pii (θεοσεβεῖς) 1 Cor. 4, 20. Disputare de libertate ab affectibus et de perfectione (ita scilicet ut sciant, quid proferant) paucis datum est. hom. 17, 10. 11.

11) Quemadmodum martyres multa tormenta perpessi, si ad ipsam usque mortem invictae virtutis fortitudinem exhibuerunt, coronis gloriae digni facti sunt, et, quanto pluribus et gravioribus laboribus sunt perfuncti, tanto majorem apud Deum claritatem et libertatem nanciscuntur; ita animae, diversi generis afflictionibus

vexatae, tam iis, quae ab hominibus exeunt, quam iis, quae gignuntur cogitationibus absurdis in mente extumescentibus, sive corpore morbis presso, si patienter ad finem usque perseveraverint: easdem cum martyribus coronas, eandem apud Deum gloriam consequuntur. Martyrium enim afflictionum, quas ab hominibus martyres perpessi sunt, hae pariter pertulerunt, infestis malitiae spiritibus ipsas infestantibus et vexantibus. de lib. ment. 15.

Per afflictiones pariter ac per recreationes (ἀνέσεις) anima periclitatur tentari; per haec omnia enim animae a creatore probantur et examinantur, ut palam fiat, utrum lucri causa ipsum ament, an ipsum solum, quippe magno amore, magna amicitia propter se ipsum (i. e. naturae suae excellentiam et benignitatem suam) dignum. de lib. ment. 20.

Non ita res se habet, quasi ad primum statim gratiae adventum homo omni ex parte purus existat. Traditur potius hostibus, et horum tentationibus exponitur ad exercitationem et disciplinam; exemplum in Jobo habemus. de cust. cord. 12.

Per arcanae, sed Deo dignae providentiae consilium non statim in Geennam, quae ipsi decreta est, Satanas mittitur; sed interim sinitur hic vivere, ut vexet, ac vexando probet homines, atque ita, invitus quidem, efficiat, ut sancti crescant in justitia per patientiam; ut hoc modo majoris ipsis gloriae causa sit, sibique contra per voluntariam in peccatis obstinationem et malitiosas sanctorum insidias tanto justius infligi demonstret, quae ipsum manet, poenam. Quod apostolus innuit Rom. 7, 13: Ut fiat supra modum peccans peccatum. de pat. et discr. 2.

Virga est disciplinae et lorum plagas infligens princeps hujus saeculi in commodum parvulorum in Spiritu; ipsis quidem magnam gloriam et abundantiorem honorem per afflictiones parat, quia sic efficit, ut perfectiores fiant; sibi autem miser ille ipsi majorem gravioremque contrahit poenam. Omnino enim per Satanam mira quaedam et egregia Dei dispensatio (οἰκονομία) administratur (οἰκονομεῖται), cooperatur enim malum cum bono intentione non bona. Bonis enim et bene cordatis animabus, quae molesta videntur, in bonum desinunt. Rom. 8, 28. de pat. et discr. 6.

In afflictionibus et vexationibus magnae sunt positae permissiones fidei et patientiae factae, ipsa scilicet gloria, ipsa bonorum caelestium perceptio. Sic jactum in terram frumenti granum, sic

arbor, cui inseritur surculus (?) (δένδρον ἐγκεντριζόμενον) putrescere debent et in ignominiam quasi delabi, ut possint multos ex eo, quod ipsis subest, fructus procreare. Nisi enim per illam putredinem, per illam velut ignominiam transiissent, numquam decorem et gloriam inde prodeuntes induere possent. Act. 14, 21. Luc. 21, 19.

Qui vult imitator esse Christi, et ita consequi, ut filius Dei appelletur, quippe qui ex Spiritu genitus est; hic ante omnia debet afflictiones ingruentes, morbos corporis, injurias hominum, opprobria, insidias hostium invisibilium forti animo perferre. Per divinam enim providentiam, sapienter et benevole omnia disponentem, permittitur, ut tales vexationes et calamitates in animas irruant, uti manifestetur, quaenam inter illas sincere Dominum diligant. Hoc omni tempore signum fuit sanctorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum et martyrum, ut per angustam hanc tentationum viam transirent, et Deo sic grati et accepti fierent. Sir. 2, 1. de lib. ment. 13.

Non quod extinguatur gratia aut imbecillior fiat, sed ut liberum arbitrium tuum, libertas tua probetur, quo vergat, permitteris malitiae; tu vero ita moneris, ut, voluntate tua Domino accedens, gratiam recuperare studeas. hom. 27, 9.

Caput IV.

De iis, quae homo propriis viribus praestare possit, ut gratia dignus fiat.

Initium conversionis ab homine ipso propriis viribus faciendum; potest enim ac debet se ipse examinare, et studere discretioni (*τῇ διακρίσει*) i. e. ut discat bonum a malo distinguere, et statum, in quo est miseriae cognoscat [1]); debet proprio mentis nisu se ad bonum excitare, cogere se ad bona opera et ad ministerium fratribus praestandum [2])*); debet animam a peccatis purgare et ab omni mali contagione cum summa cautione custodire, ut possit illa semen Spiritus Sancti in se recipere [3]); debet mundo renuntiare, Deo credere, et omnes vires in desiderio Christi quasi colligere et *ἀνακεφαλαιοῦν***); debet lugere et orare indesinenter et modice de se sentire [4]); debet contemplatione ad Deum se attollere, quamvis hac non multum efficere poterit, quia Deus est incomprehensibilis [5]). Haec igitur homo debet et potest praestare, ut per ascesin se ad bona opera cogat, in oratione desiderium Christi, quo flagrat, et amorem manifestet (ab oratione enim reliquae omnes virtutes nexu quodam necessario pendent); denique ut poenitentia demonstret, se statum, in quo est miseriae cognoscere, et lugere peccata et crimina sua. Sed haec omnia praeparatoria sunt, sunt enim externa; in his qui vel maxime excellit, similis est ostium pulsanti et roganti, ut aperiatur; vera autem animae puritas interna est, quae nisi per Spiritum Sanctum non potest ulli contingere [6])†). Haec vero Spiritus inhabita-

---

*) Orig. hom. in Joh. XXVIII, 371. in Mth. XV, 684.

**) Ir wellent got und die creature mittenander han, und das ist unmugelich; lust gotz und lust der creature, und weindestů blůt, es mag nůt sin! Tauler. Schm. p. 115.

†) Orig. hom. in Mth. 834. tom. in Mth. XII, 515. hom. in Lev. X, 245. sq.

tio cuivis animae conceditur, quam ita fortiter pugnantem et indesinenter desiderantem esse Deus cognovit. Gratiam adepta, ab his elementis ad altiora tendere et ascendere potest.

Qui vult ad Deum accedere, et vita aeterna dignus fieri, sic debet incipere: primum credere Deo firmiter, et se ipse mandatis ejus totum subjicere et renuntiare mundo in omnibus, ita ut in nulla re visibili mens ejus haereat defixa; debet se ipsum orando confirmare omni intentione animi in perseverantia, nec desperare, expectans cum fiducia Domini auxilium et consilium (ἐπίσκεψιν). Deinde se ipse cogere debet summo nisu ad bonum faciendum, ad mandata Dei omnia strenue exequenda (ad humilitatem, ad mansuetudinem, ad misericordiam, benignitatem, patientiam etc.), quamvis invito corde, quippe cui peccatum inhaereat. Tunc Deus, considerans tale ipsius propositum et studium, quo vim sibi ipse infert, ut domini numquam oblitus ejus mandatis obediat, misericordiam suam ipsi testatur, liberat ab inimicis eum, et ab inhabitante in ipso peccato, et replet Spiritu sancto. de cust. cord. 13.

Occultis animae vulneribus, curatu difficillimis, una tantum via mederi possumus, scilicet perfecta ad Deum conversione (πρὸς τὸν θεὸν τελείᾳ ῥοπῇ) cum multa prece et fide, cooperante Spiritu Sancto; nobis omni nisu contendentibus, et omni custodia cor nostrum servantibus, imprimis ne duabus propensionibus indulgeamus, alteri ad malum, alteri ad bonum trahenti, sed uni bono persequendo incumbamus. Deut. 22, 10. Lev. 19, 19. de perf. in Spir. 3. 4.

Illa anima est pauper Spiritu, quae vulnera sua et tenebras in quibus est, agnoscit, et continuo a domino liberationem quaerit; quae labores tolerat, nullo bono terrestri delectatur, omnemque fiduciam in bono medico ejusque medela ponit. Ita, creationis suae et originis vulnerumque et mendacitatis cognitione, haec vulnerata anima decora denuo et formosa fiet. Non debet vulneribus suis et cicatricibus libidinum delectari, nec delicta sua excusare; tunc deformitatis nullam Deus rationem habet, sed venit et ornat eam, ita ut amplius nulli sit subjecta vicissitudini, sed indelebili pulcritudine vestita. de char. 16.

Tollamus igitur corpus nostrum, et construamus altare et huic imponamus omnes nostras cogitationes, ac rogemus dominum, ut

mittat de coelo invisibilem et magnum ignem, qui consumat altare et omnia, quae in eo sunt posita. hom. 31, 5.

Apostolus, distincte ac per singula res a Deo postulatas examinans, ostendit, qua ratione purgationis opus peragi debeat: non raptim, sed cum patientia et longanimitate. Primum lacte pascens, ut infans, dein ad augmentum progrediens, denique ad perfectionem evadens. de elev. ment. 19.

Qui fortiter decertat, promissionem expectat, perseverat, credit et cum discretione (*ἐν διακρίσει*) quaerit, jam hic cum Deo in communione versatur (*κοινωνεῖ τῷ θεῷ*). Quemadmodum enim, qui mulierem vidit eamque concupiscit, in corde suo jam moechatus est (Mth. 5, 28.), etiamsi corpore nondum pollutus, sic qui cor suum a malis avertit, Deo adhaeret desiderio et contemplatione (*ἐκζητήσει*), perseveranti in Deum amore flagrat, jamjam quasi Dei particeps est. de pat. et discr. 8.

1) Multo et invisibili labore cogitationes sunt examinandae, animi sensus acuendi et exercitandi ad discretionem (*διάκρισιν*) mali et boni, debilitataque ejus membra eo, quod mens ad Deum se attollere studet (*διὰ τῆς τοῦ νοὸς πρὸς θεὸν ἐπείξεως*), suscitanda (*ἀναζωπυρεῖν*). Longus hic labor et difficilis. de cust. cord. 7. de perf. in sp. 13.

Ipsam mentem, conscientiam, dispositionem, cogitationem, amandi facultatem (*τὴν ἀγαπητικὴν δύναμιν*) tamquam primitias totius nostri hominis Deo ante omnia offerre debemus, quemadmodum Abraham Melchisedeco, Dei sacerdoti, primitias obtulit. Gen. 14, 18. de cust. cord. 8.

Ante omnia examinanda est captiva et serva peccati mens, et anguis in ejus penetralibus latens occidendus. de elev. ment. 21.

Homo virtutis studiosus discretionem imprimis sectetur, ut possit diaboli versutias, quam splendidae sint, a Spiritus Sancti impetu discernere. Atque hoc poterit facile; nam Satanas, licet splendidas offerat visiones (2 Cor. 11, 14.), bonam operationem exhibere non potest. Anima, quae discretione non eget, simulac mente utrumque percipit, discrimen facile animadvertit. Quemadmodum enim vinum et acetum adspectu sunt eadem, simulac lingua explorantur, palatum bene alterum ab altero discernit; ita anima ex spirituali sensu et affectu (*ἐκ νοερᾶς αἰσθήσεως καὶ ἐνεργείας*) charismata Spiritus Sancti et phantasmata Satanae distinguere potest. de pat. et discr. 13.

Quicumque potuit cognoscere animae suae dignitatem, ille poterit etiam cognoscere virtutem et mysteria Deitatis; et, quod pluris est (καὶ μᾶλλον), hac cognitione humiliari; nam beneficio virtutis divinae lapsum suum videt. hom. 27, 1.

Quibus curae est, ut Christianae vitae officiis pro viribus satisfaciant, ii debent ante omnia ejus animae partis, quae dominans, distinctiva, discretiva (διανοητικὸν, διακριτικόν) est, diligentem rationem habere; ut boni malique discretionem acuentes, et libidines, quae praeter naturam irrepserunt, a pura natura separantes, irreprehensibiliter vivere possint, discretiva animae parte, tamquam oculo quodam, utentes, ita ut valeant, malitiae impetus cautione evitare. de elev. ment. 3.

2) Illi, qui quasi in infantia sunt, nec possunt totos se amori animae tradere, ministerio fratrum se exerceant cum fide ac timore Dei, et sciant, se ita quoque mandato ejus in re spirituali obtemperare; nec mercedem ab hominibus expectent, ne murmurationi, nec superbiae, negligentiaeve et lassitudini locum dent. Ita a parvis ad majores virtutes quasi quibusdam gradibus Dei auxilio anima provehitur, quorum primus est facilis, cum ne porrectio quidem calicis aquae frigidae mercede careat, Mth. 10, 42. 25, 40., modo ne propter laudem humanam, sed propter Domini amorem fiat. de or. 7. 8.

3) Scriptura unumquemque jubet omni cura cor suum custodire (Prov. 4, 23.), ut, velut paradisum in ipso verbum conservans, gratia fruatur, nec audiat serpentem ibi sibilantem et consulentem, quae voluptatibus inserviunt. Talem paradisum ingressi sunt Noe et Abraham obsequio suo, talem custodiverunt Moses et David, Saul primum custodivit et felici rerum successu gaudebat, postmodo neglexit, et miseriis circumventus occubuit. hom. 37, 1.

Custodire animam oportet et a contagione malarum et profanarum cogitationum arcere; corrumpitur anima malis et sordidis cogitationibus assentiens, quemadmodum corpus cum impuro corpore coiëns. Est enim quaedam corruptio et fornicatio in anima occulta, invisibilis. de lib. ment. 4.

Diligens agricola agrum primum novat, spinas eradicat, tunc demum semina spargit: sic, qui gratiae semen in se recipere sperat, agrum animae primum purgare debet, ut semen Spiritus in eum in-

cidens perfectos et multiplices fructus proferat. Quod qui negligit, caro est et sanguis, et longe remotus a vita. ib. 6.

Unusquisque debet cor suum omni custodia servare, multamque Deum prudentiam rogare, ut det nobis diabolicae malitiae artes perspicere; praeterea debet exercitare et quasi elaborare (ἐργάζεσθαι καὶ ἐκπονεῖν) mentem cum prudentia, et cogitationes suas sine intermissione ad Dei voluntatem componere. Quo opere nullum est majus nec pretiosius. Ps. 110, 3. de lib. ment. 7.

4) Anima, quae vult vivere apud Deum in luce et requie aeterna, ad verum pontificem Christum accedere debet, ibique mactari, i. e. mori mundo ac priori vitae tenebrarum et malitiae, et transponi in alteram vitam et ἀναστροφὴν θείαν. Debet victima a sacerdote mactari, dein dissecta sale condiri, et sic igni imponi. hom. 1, 7. 8.

Aliter Spiritus Sancti participes fieri non possumus, nisi huic saeculo prorsus abalienati totos nos amori Christi sectando demus; ita ut animus, omnibus materiae curis solutus, huic uni fini consequendo vacet, et dignus fiat, cum quo Christus in unum coalescat spiritum*). 1 Cor. 6, 17. de char. 24.

Convenit, annunciatam in Scriptura sacra (Ebr. 9, 14.) immensam Dei erga homines benignitatem nos confiteri, tamquam servos fideles; et vera firmaque reputare, quae promissa sunt, ut, etiamsi propter voluntatis pigritiam et infirmitatem nos totos creatori subito tradere non valemus, neque statim ad altissimas et maximas virtutis mensuras pervenire, aliquâ saltem misericordiâ propter voluntatis rectam et firmam intentionem et sanam fidem potiamur. de or. 13.

Animae, virtutis et Dei amore flagrantes, hujus ne brevem quidem intermissionem tolerant, sed totae prorsus cruci affixae, spiritualis augmenti sensum in se quotidie experiuntur. Hoc desiderio vulneratae et justitiae fame actae, omnibus virtutibus et Spiritui divino quasi inhiantes, quidquid in spiritualibus nacti sint, nil se peregisse censent, sed quo ditiores sunt, eo pauperiores sibi esse

---

*) Wenne der mensche alsus die stat, den grunt, bereitete, so ist kein Zwifel do an, got müsse do alzemole erfullen, der himel risse e und erfüllete das itel, und got lot nů vil minre die ding itel, es wer wider alle sin nature und wider sin gerehtikeit. Tauler. (Schm. p. 125.)

videntur. Sir. 24, 29. Tales animae gratiam perfectae liberationis a libidinibus accipiunt, et illustrationem et communionem divini Spiritus in plenitudine gratiae. de char. 25. 26.

De se adeo sentiunt modice, ut sibi videantur ne fundamenta quidem vitae divinae jecisse. de char. 16.

Anima, quae sanctificationem in se nondum sentit, lugeat et quaerat a Deo ferventer, ut hujus boni et efficaciae divinae in mente per ineffabilem doctrinam (διὰ ἀῤῥήτων θεωριῶν) particeps fiat. de char. 28.

Infans, licet nihil possit perficere, nec propriis pedibus accedere ad matrem, nihilominus volvitur, clamat et plorat, inquirens matrem. Erga eum summa misericordia mater afficitur, et gaudet de infante, ipsam desiderante cum labore et vagitu. Et cum non possit infans ad eam pervenire, nihilominus ob magnum pueri desiderium ipsa mater ad illum adit, amore pueri mota, et amplectitur, fovet et alimentum dat summa cum dilectione. Hoc ipsum benignus quoque Deus facit animae ad eum accedenti et ejus desiderio detentae. Longe vero majore insita dilectione et propria benignitate ipse ejus intellectui adhaerescit, et evadit cum illa in unum Spiritum. 1 Cor. 6, 17. hom. 46, 3.

Quemadmodum infans non scit sibi ipse prospicere vel se ornare, sed oculos tantum convertit ad matrem cum vagitu, donec misericordia commota illum suscipiat; sic fideles animae in solo Deo spem suam perpetuam ponunt, omnem ei justitiam tribuentes; quia sicut sine vite palmes arescit, sic qui sine Christo vult justificari. hom. 31, 4.

Quemadmodum, si quis morbo vel febri detinetur, licet corpus in cubile projectum sit, nec opus aliquod perficere possit, animus tamen non quiescit, sed angitur et curat, quae sint agenda, et medicum desiderat, mittens ad eum amicos; eodem modo anima, post lapsum ad infirmitatem per libidines et languorem redacta, accedit ad Deum et credit, et auxilium ab eo accipit; et renuntians priori vitae deperditae, licet antiquo morbo prematur et opera vitae perficere nequeat, nihilominus curare potest, quae ad vitam pertinent, clamare ad Deum, et desiderare verum medicum. hom. 46, 2.

Si mater filium unicum magna sollicitudine educavit, isque, cum ad virilem aetatem pervenit, moritur; illi, qui consolari eam moliuntur, dolorem potius denuo incendunt et exacuunt; sic anima

quoque, omnem consolationem aspernata, indesinenter lapsum suum deploret et ante omnia cor habeat contritum. de cust. cord. 10.

Omnes virtutes mutuo pendent nexu altera ab altera, et sic spiritualem quasi catenam efficiunt, in qua orationem sequitur charitas, charitatem gaudium, gaudium mansuetudo. de cust. cord. 8.

Caput omnis boni studii et vertex omnium bonorum operum assiduitas orationis est (*προσέδρεια προςευχῆς*); oratio nos inducit, vocat, adjuvat, per eam communionem mysticae virtutis (*κοινωνίαν τῆς μυστικῆς ἐνεργείας**), conjunctionem ipsius mentis cum intentione ad sanctitatem perveniendi per ineffabilem Domini amorem nanciscimur. de or. 1. hom. 40, 2.

Cavendum est, ne oremus cum pigritia quadam, fructus salubres justitiae non exhibentes; de or. 2. hom. 6, 1.**) — orandum est sine intermissione et perseveranter; 1 Thess. 5, 17. Luc. 18, 1. Mth. 26, 41. — nil remittentem de ardore nec cedentem distractionibus cogitationum, non utentem turbulentis et indecoris clamoribus, sed cum certo et immutabili proposito mentis; de or. 3. 4. (in pace et tranquillitate, in voce aurae tenuis, non alta et querula voce, non importunis clamoribus Jes. 66, 2. 1 Reg. 19, 12. hom. 6, 2.) in quiete et pace et tranquillitate mentis, cum labore cordis (*πόνῳ καρδίας*) et cogitationibus sobriis. hom. 6, 1.†)

Orationis et verbi opus rite et convenienter exercitum super omnem virtutem et omne mandatum excellit; Lev. 10, 38. Act. 6, 2. neque tamen ministerii opus ita reprobatur, sed majus tantum minori praeponitur. Joh. 13, 5. Christus ipse discipulis servit, itaque non potest hoc opus vilipendere. de or. 14.

Qui vero id charisma habet, ut possit sine intermissione in

---

*) Qui enim orat, bonis operibus omissis, is similis est quinque stultarum virginum, quae sine oleo expectabant venientem sponsum.

**) Was ist gebet? Zů dem ersten, also geschriben stot, das ist ein ufgang des gemůtes in gotte; in eime nehern sinne, so ist gebet ein vereinender inker dez geschaffnen geistes in den ungeschaffnen geist gottes. Tauler. (Schm. 130.)

Wisse, also klein also ein klein jung haller ist fůr hundert tusent marck goldes, also ist alle ussewendige gebette vor diseme gebette, das do ist und heisset wore einunge mit gotte. Tauler (ib.)

†) Orig. de or. 210. 228. — Nůt wenent das daz wor gebet si das man vil gepopelet mit dem munde ussewendig, und vil selter und vigilien liset, und die ringe stricket, und das hertze har und dar loffet. Tauler. (Schm. p. 131.)

prece perseverare, non se extollat super eum, qui ministerio fratrum vacat, nec hic super illum. Alter enim altero eget, et vicissim, quae alteri desunt, alter explere debet. de or. 9.*)

Interrogaverunt quidam Abbatem Macarium: quomodo debemus orare? Respondit illis senex: „Non opus est, multa verba facere, sed extendendae sunt manus, et exclamandum: Domine, sicut vis et sicut nosti, miserere! Si autem tentatio te aggreditur, dicendum est: Domine adjuva! Ipse scit, quae expediant, et nostrum miseretur. Apophth. p. 252.

Anima virtutibus praedita (ἐνάρετος) aedificatur in ecclesia, non quia operata est, sed quia desideravit (ἐπόθησεν). Non enim proprium opus salvat hominem, sed qui operandi facultatem largitur. hom. 37, 9.

Daemones vel validissimi, montibus potestate superiores, ab oratione comburuntur, velut cera ab igni. hom. 43, 4.**)

Utendum esse in rebus spiritualibus et fruendum, non anxie scrutandum et investigandum, hac imagine Macarius demonstrat: Tu quantum invenis, ede panem, et universae terrae obliviscere; abi ad ripam fluminis, ac bibe, quanto opus est, abi, nec inquire, unde manet, quomodo fluat. Adspice lumen solis, nec curiosus indages, quantum luminis sol contineat, aut in quo exsurgat signo.

Quod cedit in commodum, sume et utere. etc. Puellus, quando accedit ad ubera matris, sugit et nutritur. Nescit vero scrutari radicem aut fontem, unde ipsi lac adfluat. Sugit enim lac, totamque mamillam exhaurit, quae statim iterum repletur; nec puer nec mater ejus novit, quomodo id fiat. etc.†) hom. 12, 12.

---

*) Status is, quo semper in precatione homo versatur, a Taulero vocatur lidelicheit vel lidekeit (passivitas), quia homo semper recipit, nec operatur; ei opponitur wûrklicheit, status activitatis, quam Macarius διακονίαν vocat. Taulerus quoque statuit, non semper in precibus hominem posse perseverare, et poscit a quovis ministerium. „Und ȯch sol der mensche vil innerlichen warnemen wenne in der geist gottes manet zû lidekeit oder zû wûrklicheit, das er eim ieglichen volge, und tû usser der anwisunge des heiligen geistes nû rasten nû wûrken, und tû denne sine werg also gôttelichen und fridelichen. (Schm. p. 134.)

**) Orig. de or. 215.

†) Similiter Taulerus contemplationi non favet: Wenne ir zû ennander kumment, so sûllent ir reden von gotte und von tûgentlichem leben, und nût

5) Mariam, in contemplatione versantem, Marthae laboriosae Christus praefert. de or. 14.

Mens in sublimia rapitur, rerumque mundanarum obliviscitur, sapientiae ipsius humanae; mutatae enim sunt ejus cogitationes et quasi captivae ad infinita et incomprehensibilia tendunt (*εἰς ἀπέραντα καὶ ἀκατάληπτα πράγματα*). de char. 8.

Contende ut placeas Domino, *ζητῶν αὐτὸν ἐν διαλογισμοῖς*, et expendens, qua ratione veniat ad te, et mansionem apud te faciat. Quanto enim magis colligis animum ad eum quaerendum, tanto magis ipse compelletur propria misericordia et benignitate, ut veniat ad te et te refocillet. Mentem enim tuam intuetur (*θεωρῶν ἕστηκε τόν σου νοῦν*) inspiciens, quomodo eum quaeras, utrum toto animo, an segniter et negligenter. hom. 31, 3.

Quodsi homo voluerit indagare sensum Dei, et dicere: inveni quidpiam ac comprehendi, deprehendetur mens humana transcendere Dei consilia. Verum hac in re vehementer errat; quanto plus volueris scrutari ac penetrare, tanto magis in abyssum descendis, nec quicquam percipis. Ipsae enim cogitationes unde tibi nascantur quotidie et quomodo, te fugit; animam tuam non potes perscrutari; cogitationes et mentem Dei quomodo poteris comprehendere? hom. 12, 11.

Quemadmodum majestatem Dei et incomprehensibilem ejus naturam nec caelestes creaturae capiunt, nec terrestres (*οὔτε οἱ ἄνω αἰῶνες* (*κόσμοι*) *χωροῦσιν, οὔτε οἱ κάτω* (*ἐπίγειοι*); sic exinanitionem Dei, quo pacto se ipse humiliat, ut humilibus et parvis appropinquet, nec superni aeones, nec terrestres intelligunt. hom. 32, 7.

6) Ille nondum sanctus est, qui nondum purgatus est, quod

---

disputieren von der gotheit in ander wise noch der vernůnft; das get ůch nůt an. — Enfrage nůt noch hohen kůnsten, denne gang in dinen eigenen grůnt unde ler dich selber kennen; und nůt enfroge von der verborgenheit gotz, von dem ůsflusse und influsse, und von dem ihte in dem nihte, und von dem fůnken der selen in der instekeit. U'ch enist, sprach cristus, nůt zů wissende von der heilikeit gottes. Wir sůllen halten einen einvaltigen waren gantzen gelůben an einen got in drivaltekeit der personen, nůt manigvaltiklich sunder einvalteklich und luterlichen. Talibus enim quaestionibus haereses obortas esse. — Eya, lieben Kinder, nůt underwindent ůch zů hoher wisheit, also sancte paulus sprach, und lant die hůhen pfaffen darnoch studieren und disputieren etc. (Schmidt p. 136.)

attinet ad interiorem hominem (καθαρθεὶς τὸν ἔσω ἄνθρωπον). Non enim qualiscumque abstinentia a malis, sed quae conscientiam emundat, perfecta est purgatio; — quae reptantem nidulantemque in imis conscientiae recessibus peccati anguem occidit. de cust. cord. 1.

Per jejunium et orationem foris stantes pulsemus (ἔξω ἑστῶτες κρούωμεν), sicut dominus jussit Mth. 7, 7. — Pulsantes spiritualem domini januam dies noctesque per obsequium mandatis divinis praestitum. de cust. cord. 3.

Voluntas Dei est, ut perfectam a peccato purgationem, ab affectibus turpibus libertatem consequamur, ad summum virtutis fastigium perveniamus. Haec est cordis purgatio et sanctificatio, quae abunde nobis contingit perfecti et divini Spiritus in nobis inhabitatione (μετουσίᾳ). de perf. in Sp. 2.

Non a manifestis malis abstinentia est perfectio, sed mentis purgatio, eaque perfecta. de elev. ment. 20.

Neque haec purgatio ad manifesta solum peccata pertinet, a quibus puram praestare oportet animam virginem, cum Deo se conjungere cupientem, sed multo magis liberanda est ab occultis. de perf. in Spir. 5.

Hanc purgationem universa Scriptura postulat, ad quam nemo, nisi per Christum accedit. Si anguem in penetralibus cordis nidulantem occidisti, si, quantum in te est, totum te expurgasti, et peccatum prorsus ejecisti, tunc gloriare in Deo de puritate. de elev. ment. 21.

Sicut in vinea, nisi messis uvarum sequatur, nequidquam vinitor desudasse existimatur: ita nisi per operationem Spiritus Sancti fructus charitatis, pacis, gaudii, humilitatis reliquorumque donorum in nobis reperiamus, frustra laborem virginitatis orationis, psalmodiae, jejunii et vigiliarum suscepimus. Hi enim labores corporis et animae spe spiritualium fructuum exerceri debent; spiritus vero in virtutibus fertilitas et fructificatio (καρποφορία) fruitio (ἀπόλαυσις) est spiritualis in voluptate aeterna. de cust. cord. 9.

Palatium regis multa habet cubicula, atria et vestibula, et interiora conclavia, ubi rex ipse residet, ubi purpura ejus et thesauri reponuntur. Stultus est, qui, atria ingressus, opinatur, se ad regem ipsum, ad viscera quasi palatii penetrasse. Haec ad spiritualia refer: jejunantes, vigilantes, orantes, psallentes vestibula quasi et prima atria ingressi sunt, nondum interiora conclavia, ubi pur-

pura et thesauri jacent, i. e. nondum pervenerunt ad ipsam pacis perceptionem. de cust. cord. 11.

Non satis est, in rebus visibilibus externo homini renuntiasse, bona sua distribuisse; sed accedere debet, ut a libidinum dominatione te liberes; carnalem sapientiam et in negotiis prudentiam possides: hac etiam te abdica; eodem modo justificationibus carnalibus renuntia, et humilis et parvus esto; ita imbui poteris praedicationis stultitia (1 Cor. 1, 21.), et in hac invenies veram inesse sapientiam, non in sermonibus bene comptis, sed in virtute crucis (1 Cor. 1, 18.). de char. 1.

Nil juvat, in virtutibus externis, psalmodiis, jejuniis et vigiliis versari, nisi eo perveneris, ut mystica Spiritus operatio (*μυστικὴ τοῦ πνεύματος ἐνέργεια*) a gratia ita perficiatur (*ἐπιτελοῖτο*), ut sensus (*αἴσθησις*) ejus perfectus et quies spiritualis inde redundet. Bonum est jejunium, bona vigilia, bona omnis exercitatio, sed prooemia quasi sunt vitae vere Deum amantis (*πολιτείας θεοφιλοῦς προοίμια*), et stultum est, in his solis confidere. de char. 29. 30.

Vera mors intus in corde est abscondita, et si intus, homo vere mortuus est. Quodsi in arcano (*ἐν τῷ κρυπτῷ*) a morte ad vitam transit, vere vivit vita perenni, nec amplius moritur. de cust. cord. 2.

Admodum difficilis haec omnis est disquisitio; nullo enim loco satis liquet, quantum Macarius propriis hominis viribus, quantum gratiae auxilio tribuat: nunc enim postulat, ut homo proprio nisu ad bona opera et orationem se accingat, nunc omnia bona opera gratiae tribuit, et orationem charisma esse profitetur; nunc nihil homini relinquere videtur, nisi ut infantis instar ploret et vagiat, donec gratia, materno amore commota ad ipsum veniat, nunc postulat, ut primos saltem gressus illi obviam faciat. Huc accedit, quod nullo loco cum certitudine quadam dici potest, utrum de homine naturalibus tantum viribus instructo, an de homine gratiâ jamjam potito loquatur; nos e nexu constituere conati sumus, quo loca pertineant, quae citavimus, sed libere confitemur, nil nisi verisimilia nos protulisse. Fortasse Macarius naturales etiam hominis virtutes eo sensu nonnullis locis ad gratiam revocat, quod huic vel ipsam

hominis creationem, vel saltem eas imaginis divinae reliquias, quas homo post lapsum servavit, tribuendas esse subintelligi vult, naturalem quandam gratiam a supernaturali, ad hominem bene meritum descendente, distinguens, praeparatoriam a perficiente, quemadmodum seriore tempore Semipelagiani, quamvis distinctis verbis nusquam id exprimat; — fortasse, id quod nobis videtur veri simillimum, ipse hac de re sibi non constitit, nondum certum et exactum systema composuerat. Videtur enim utraque hac de re difficillima cogitandi ratio, ea, quam excultam habemus apud Orientales (Origenistas et Antiochenos) et apud Pelagium, et ea, quam Augustinus praeivit, in Macario concurrere, vel quasi παραλλήλως currere, ut pro ea, in qua forte erat animi conditione, nunc in ipso propriae indignitatis, debilitatis et miseriae sensus praevaleret, et omnia gratiae tribuere ipsum impelleret, nunc vero virium humanarum et fortis, quod ipse non neglexit, in ascesi certaminis conscientia, ita ut propriae contentioni nonnulla, quidquod multa, adscribere non dubitaret. Clariorem de ea re disputandi seriem in Isidoro Pelusiota deprehendes, qui in systema cogitationes suas redigere melius novit, quam qui practicis rebus intentus erat Macarius. Sed simillimi Macario Hilarius Pictaviensis et Ambrosius Mediolanensis sunt, quorum si diversa eadem de re loca compares, vix ut concinant efficies.

Neque ita aliquid lucramur, si dicimus, Macarium pro re et loco varie disputasse; ita, ut coram segnibus ingeniis et inertibus ostenderet, in ipso homine inesse vim quandam, cujus contentione ad altiora aspirare liceat, coram superbis et sua virtute fretis demonstraret, omnia gratiae deberi; vel si dicimus, diversitatem quamdam esse in scriptis serioris et prioris aetatis, et Macarium tempore labente, Augustini instar, sententiam mutasse; nam in una eademque homilia tales dictiones juxta alteram altera posita reperiuntur, quae vix inter se componi possunt. Nos ita censemus: in Macario haud dubie transitum quendam fieri a sententia orientali ad occidentalem, quam Augustinus excoluit; ita, ut temperare utramque ipse auctor non noverit, sed nunc in hanc, nunc in illam, prout indignitatis aut dignitatis humanae sensus praevaluit, sine critico judicio inclinaverit. Ita explicari potest, quo pacto in uno eodem-

que scriptore dictiones reperiantur, quas Augustinus, aliaeque juxta positae, quas Pelagius adoptare non dubitassent. Id vero momenti est, quod primus Macarius eam sententiam profert: sine gratia hominem opus omni ex parte Deo gratum non posse perficere. Ea certa est Macarii doctrina.

Ea loca, quibus Macarius universum, ut ita dicam, sanctificationis decursum breviter adumbrat, haec sunt:

Gratia quidem et largitione Spiritus divini unusquisque nostrum salutem consequitur, fide vero et charitate ac contentione libera sui compotis arbitrii (*ἀγῶνι προαιρέσεως αὐτεξουσίου*) ad perfectae virtutis mensuram (*τέλειον τῆς ἀρετῆς μέτρον*) accedere potest. Ita, sicut gratia, sic et justitia aeternae vitae haereditatem accipit: neque per solam divinam gratiam et virtutem, absque eo quod proprias et ipse conferat sudores, perfectione dignus habitus, neque rursus solo proprio studio sine manu divina superne cooperante perfectae libertatis et puritatis apicem attingens. de perf. in Sp. 1.

(Hoc loco, utrum cooperatio humana post acceptam denique gratiam, sive ante hanc doceatur, non satis liquet.)

Nisi dignatus sit Dominus hominem, cui propter fidem gratiam largiatur, inutilis hic est, nec aptus ad regnum Dei. — Intentio vero voluntatis (*ἡ προαίρεσις*), profectu et incremento probata, temporis successu, si cum gratia semper conjuncta et Deo grata fuerit, augetur ita, ut spiritualis demum prorsus evadat, et deinceps sancta et pura per Spiritum facta, regno digna fit. hom. 24, 6.

In natura rerum visibili terra ex se profert spinas; colonus autem fodit, exercet diligenter ac seminat; spinae tamen non satae

---

*) *Οὔτε γὰρ ἄνευ προαιρέσεως τυχεῖν οἷόντε· οὐ μὴν οὐδὲ τὸ πᾶν ἐπὶ τῇ γνώμῃ τῇ ἡμετέρᾳ κεῖται· χάριτι γὰρ σωζόμεθα.* Clem. Strom. V, 647.

Orig. fragm. I. de princ. III, p. 35. hom. in Jerem. VIII, 170. Comm. in Rom. IV, 522. de princ. III, 279. Sel. in ps. 571. 672. Tom. in Mth. XII, 561.

Taulerus ab homine poscit, ut surgat a peccato; quodsi id fecit, naturae bonitate recte usus, gratia accedit, vel potius accedere debet; Deus enim nil magis curat et optat, quam ut hominem inveniat paratum. — Also balde also der mensche sich willen hat zů bessernde noch siner maht, zůhant so wůrt es alles gůt (Schm. p. 112. 121.). Also wie ein mensche alles daz gelossen het daz got und gôtlich nit enist, und got zůmole anhanget, dem můs got sich selber und alle ding wider geben. (Schm. p. 131.).

pullulant et multiplicantur (Gen. 3, 18.). Denuo colonus exercet terram et effodit spinas, quae nihilominus multiplicantur denuo. Hoc spiritualiter interpretare. Post transgressionem terra cordis spinas et tribulos gignit; excolit homo, elaborat, adhuc tamen spinae pravorum spirituum enascuntur. Deinde Sanctus Spiritus auxilio venit imbecillitati humanae; Dominus spargit in terram cordis semen coeleste, eamque excolit; quo semine jacto non desinunt spinae et tribuli pullulare. Denuo ipse Dominus et homo exercent terram animae, et septem mali spiritus et spinae illic exoriuntur et repullulant; donec venit aestas, et abundat gratia, et desiccantur aestu solis spinae et exarescunt. hom. 26, 21.

(Tria hic genera laboris aperte distinguuntur: primum hominis operatio, dein Spiritus, denique hominis et Domini cooperatio. Quaestio nostra jam soluta esset, nisi huic loco alia sexcenta contradicerent. Fortasse similitudini ab agro desumtae plus hoc loco Macarius tribuit, quam in locis mere dogmaticis concedere solet).

Caput V.

De perfectione, ad quam gratia cooperante homo pervenit, deque unione mystica Spiritus Sancti.

Gratia homini auxilio veniens, primum ea, quae suis viribus ille praestitit, emendat et sensim paulatimque ad statum perfectionis (τελειότης) perducit. Sensim: non enim statim nec sine interruptione anima ad securitatem (τὸ ἀσφαλές) pervenit, quamvis perfectio quaedam ab initio statim κατὰ τὸ δυνατόν adsit [1])*). Si antea ad mandatorum divinorum obsequium invito corde homo se cogere debuit, nunc gratia ei largitur, ut libero arbitrio sine difficultate et certamine bonum perficiat[2]); denique a tentatione amplius, etsi vexetur, laedi et affici non possit (ἀπάθεια**), ἄκρα τῶν παθῶν ἐλευθερία, παθῶν ἀπολύτρωσις[3]); loco precationis naturalis spiritualem ei orationem confert, cujus signum id est, quod πληροφορίᾳ et laetitia abundat[4])†); si naturalem Dei amorem habuit, a gratia spiritualem nanciscitur anima, qui est integer et omnis dilectionis mundanae expers[5])††). Sic Spiritus Sancti efficacia eo homines perducuntur, ut cum Christo quasi coalescant (κοινωνία μυστική) in Christo omnem amorem, omne desiderium collocent, cum ipso arctissimo vinculo et indissolubili conjuncti sint, sicut sponsus cum sponsa, in Christi amore quasi absorbeantur[6]); et in hac cum Christo unione mystica unitas simul inter fratres inest[7]); natura enim prorsus mutata est[8]); spiri-

---

*) Clem. Paed. 1, 113. 116. Orig. tom. in Joh. I, 6. XXXII, 452. Serm. in Mth. 861.

**) Clem. Strom. II, 467. 472. ἀνενδεὲς γὰρ τὸ θεῖον καὶ ἀπαθές: et gnosticus Deo similis fit. Paed. IV, 250.

†) Orig. de or. 199. 203. 215. in Rom. Comm. X, 680.

††) Orig. Sel. in Thren. p. 325.

tus unctione omnes facti sunt reges, prophetae, haeredes; omnia judicant, a nemine judicandi; quid quod apotheosin hunc statum vocare licet [9])*). Et hujus unionis mysticae fructus spirituales sunt: summa pax, quies, perfecta libertas, claritas, fruitio, gaudium et exultatio tam abundans, ut homo, in Christi intuitione defixus, sui compos vix esse videatur (ἔκστασις, ἀπόλαυσις, κατάνυξις); gloria denique splendidissima, cujus typus est illa, quae in Mosis facie exsplenduit. Haec omnia Christianis contingunt per unionem mysticam Spiritus Sancti; ipsi scilicet non vivunt, sed vivit in eis Deus et Christus (ζωὴ αἰώνιος), et horum inhabitatione prorsus contenti nihil amplius cupiunt, omnia enim in Christo et Deo possident [10])**). Nec tamen desidia quaedam vel inertia in perfectis Christianis est, sed potius, quo perfectior est anima, eo ardentius ad altiores gradus pervenire cupit [11]). Ne vero homo se ipsum fallat, opinatus, se ad τελειότητα jam ascendisse, cum nondum ascendit, notitiae hae sunt bene animadvertendae: perfectionis culmen et signum perfecta charitas est. quae ad finem usque perseverat, et testimonium Spiritus Sancti, quod tuo spiritui exhibet [12]).

1) Peccatum, quod irrepsit in puram hominis naturam, non potest statim prorsus expurgari; quamvis enim omni certamine et studio homo diabolo et pravis cogitationibus obluctetur, illa caligo libidinum, illa mors sapientiae carnalis non potest non fructum malitiae aliquem vel occulte, vel palam producere. Quemadmodum vulnus, nisi plane obductum sit, exiguam semper tabem exsudat, si prorsus negligatur, totum corpus corruptione inficit. Haec tamen vulnera prorsus sanantur per insontis Salvatoris passionem, quae ignis instar, qui ferrum expurgat et aurum ab aere secernit, animam a Spiritu Sancto inflammatam, ab omni libidine et peccato liberat. de pat. et discr. 9.

---

*) Ὁμοίωσις, ἐξομοίωσις τῷ θεῷ Clem. Coh. 76. Strom. II, 500. Gnosticus est θεοειδής, θεοείκελος, θεούμενος, θεοποιούμενος, ἐν σαρκὶ περιπολῶν θεός, non quidem κατ' οὐσίαν, sed μιμεῖται τὸν θεὸν, εἰς ὅσον δύναμις· imprimis, sicut Deus, ἀπαθής fit, Strom. II, 469. 484. 494. VI, 777. VII, 865. 894. Orig. hom. in Luc. XXXIX, 978.

**) Orig. c. Cels. VI, 678. de princ. I, 131. hom. in Jerem. VIII, 172.

Etiamsi quis charismata Spiritus (*γλῶσσαν ἀγγέλων, προφητίαν, πᾶσαν γνῶσιν*) assecutus sit, nondum autem per plenissimam et efficacem Spiritus charitatem summa a passionibus libertate donatus, (*διὰ τῆς πληρεστάτης καὶ ἐνεργοῦς ἀγάπης τοῦ πνεύματος τῆς ἄκρας τῶν παθῶν ἐλευθερίας ἀξιωθείς*), nondum securitatem (*τὸ ἀσφαλές*) attigit, sed in periculo et timore adhuc res ejus versantur. 1 Cor. 13, 7. Perfectionis enim scopus is est et finis, ut unusquisque egenum tantarum divitiarum se esse agnoscat, et ferventi et perseverante spiritus contentione ad ultimum gradum festinet, et spirituale sic percurrat stadium, donec comprehendat. 1 Cor. 9, 4. de perf. in Sp. 6. 7.

Ad hanc perfectionem hominem pervenire posse, Scriptura Sacra testatur Matth. 5, 48. Joh. 17, 24. Luc. 21, 33. Col. 1, 28. Eph. 4, 13. Qui eam semper prae oculis habent, hi summo atque indefesso contentionis ardore persequuntur, ut ad fastigium illud perveniant, et sine omni superbia modice de se sentiunt, quia se nondum eo pervenisse sciunt. de or. 11.

Atqui, qui vineam plantat, non statim ex ea uvas maturas et vinum lucratur; neque qui triticum seminat, eodem tempore et metit, et fructus colligit; neque puer recens natus subito in virum adolescit, neque qui prima militiae rudimenta fecit tiro muneribus militaribus gerendis statim aptus est. d. cust. cord. 11.

Ex parte illa per Spiritum Sanctum generatio (*ἡ διὰ τοῦ πν. τοῦ ἁγ. γέννησις*) imaginem fert perfectionis, in forma et in membris, nondum tamen in virtute (realiter) et mente et virilitate. Quicumque enim in virum perfectum crescit et ad mensuram aetatis pervenit, ea, quae puerilia sunt, abjicere solet (1 Cor. 13, 8.); alimenta et verba puerilia, et indecora dedignatur, utpote qui ad alium vitae statum profecerit. Sic qui in officiis evangelicis ad perfectionem pervenit, infantiam suam cum virilitate commutat 1 Cor. 13, 25. Quidquid per Spiritum regeneratur, quodam modo perfectum est, sicut infantem recens natum suo modo perfectum esse dicimus, quod omnes humani corporis partes integras habet. de pat. et discr. 11. 12.

2) Qui caelestem Spiritus thesaurum in se gerit, omnem legis justitiam, omne opus praescriptum, non tantum pure et irreprehensibiliter, sed etiam sine labore et molestia exequi potest, in quibus perficiendis antea multum ipsi elaborandum erat. de char. 4. 5.

Perfecti a Spiritu Sancto edocentur omnia mandata Dei perficere, et perfectas preces facere. hom. 19, 9.

Dominus, viso hominis studio, haec omnia ei dat facile sine labore et contentione perficere, quibus antea summo labore et nisu vix poterat satisfacere, propter inhabitans in ipso peccatum; ita ut ipsi illa omnis virtutis exercitatio quasi natura fiat (γίνεται ὡς φύσις). Dominus enim, abhinc ad eum descendens et in ipso manens, sicut hic in illo, exequitur in homine sua ipsius mandata ipse, sine ulla illius molestia, replens ipsum fructibus Spiritus. de cust. cord. 13.

Qui vere ac perfecte Christianus est, virtutes omnes et fructus Spiritus, qui supra naturam sunt (ὑπὲρ τὴν φύσιν) charitatem nempe, pacem, patientiam, fidem, humilitatem et omne genus revera aureum virtutis cum multa jucunditate et voluptate spirituali, sine labore et contentione, ut naturalia (ὡς φυσικὰ) perficit; non amplius contra libidines turpes pugnans, utpote perfecte a Domino liberatus, et a bono Spiritu plenam absolutamque Christi pacem et exultationem in corde nactus. Talis cum Domino arctissime et inseparabiliter conjunctus est (κολληθεὶς) et in unum cum ipso Spiritum coaluit. (Quemadmodum e contrario, qui se ipsum peccato tradit, scelera, quae sunt contra naturam (παρὰ φύσιν), sine certamine cum voluptate carnali tamquam naturalia perpetrat.) de or. 6.

Deus misero et abjecto homini gustum alterius saeculi, alius cibi suavissimi concessit; ostendit illi gloriam et delicias regis ineffabiles, caelestes. Tunc ille, comparans spiritualia cum iis, quae sunt in hoc saeculo, omnia haec respuit, thesauri regis caelestis in intuitu haerens. hom. 7, 1.

Fit talis anima tunc vere quasi anima Dei, quia sponte et ex proposito regenti se submittit boni Spiritus virtuti, et per propriae voluntatis vias non amplius ambulat. de lib. ment. 12.

3) Quae Ebr. 3, 17. commemoratur γῆ τῆς ἐπαγγελίας mystico sensu (κατὰ τὸ κρυπτόν) ab affectibus libertatem indicat (τῶν παθῶν ἀπολύτρωσιν), quem totius legis finem esse, idem apostolus demonstrat. Illa enim vera demum est promissionis terra, in cujus significationem cuncta illa typice traduntur. de or. 13.

Quemadmodum aurum et argentum, in ignem conjecta, puriora et probatiora fiunt, nec quidquam illa amplius potest adulterare, non lignum, non gramen; (omnia enim, quae ipsis adhaerent con-

sumuntur et in ignem quasi absorbentur); ita anima, igne Spiritus ardens et luce divina perlustrata, nihil a malis spiritibus patitur; quidquid illi appropinquat, igne divino consumitur. Aut veluti volucris, si in altum evolavit, secura est, nil metuens aucupes et noxia animalia, omnibus enim altior est, omnesque deridet, sic anima acceptis Spiritus alis in sublimia caeli evolans, omnibus est sublimior, omnia deridet. hom. 30, 6.

Per multas tentationes et probationes anima sensim pervenit ad statum perfectum impassibilitatis (ἀπάθεια), ita ut ad omnem tentationem nequitiae fortiter ac strenue resistat, nihil ab illis afficiatur. hom. 10, 5.

Frater quidam Abbatem Macarium consuluit, et rogavit: „Abba, dic mihi, quonam modo salvus futurus sim?“ Ait senex: „abi ad sepulcrum, et maledictis mortuos aggredere.“ Ille igitur abiens, conviciis et lapidibus illos cumulavit, et reversus, quid fecerit, Abbati renuntiavit. Quaerit ab eo Macarius: „Nilne tibi illi responderunt?“ et ille: „Nihil!“ Dicit ei senex: „Iterum proficiscere cras, laudibus illos effer.“ Id frater peragens, collaudavit eos, dicens: Apostoli! Sancti! Justi! Rediit ad senem et se laudasse nuntiavit. Ille iterum: „Nihilne tibi responderunt?“ Frater: „Nequaquam!“ Tunc senex: Nosti, quantis eos contumeliis affeceris, et nihil responderunt, quantis eosdem laudibus extuleris, nihilque oblocuti sunt; ita tu etiam, si salutem consequi cupis, mortuus fias; nec injurias hominum, nec laudes eorum aestima, mortuorum instar; sic poteris salvus esse. Apophth. p. 254. sq.

Id quod in ipsis (apostolis) malitiae reliquum erat, frustra impetu in eos nitebatur, nec damnum illis intulit, sed illaesi manserunt, muri solidi instar, in quem puerulus parvum calculum jaculatur, vel loricae instar, hebeti jaculo percussae. de elev. ment. 16.

4) Accidit saepe, ut simulatque inceperit aliquis genua flectere, divina operatione ejus cor repente abundet (μεστὴ γίνεται), anima in Deo laetetur, sponsae instar cum sponso (Jes. 62). Accidit, ut quando aliquis totum diem occupatus fuerit negotiis, et animus tantum horae spatio precibus se dederit, hoc ipso momento interior homo quasi corripiatur (ἁρπάζεται ὁ ἔσω ἄνθρωπος) et immensa profunditate illius saeculi captivus teneatur (κάτοχος ἀπείρῳ βάθει τοῦ αἰῶνος ἐκείνου). Delectat eum arcana et ineffabilis voluptas, ita ut mens obstupescat suspensa (ἐκπλήττεσθαι μετέωρον), et in sublimia rapta;

oblivio internis sensibus subrepat omnium, quae ad hanc terram pertinent. Evolat simul cum oratione anima*). In tali tamen statu non potest homo perdurare, quia sic non potest curam habere fratrum, iisque servire. de char. 8—10.

5) Anima dei beneficio virtutem illam de coelo, divinum illum ignem nacta, quae amorem boni caelestis Spiritus membris suis quasi concretum in se recepit; omni mundano amore simpliciter solvitur et malitiae vinculis expeditur. Quemadmodum metalla in ignem conjecta liquefiunt, et natura ipsorum inflexibilis et ad tactum resistens (τὸ ἀντίτυπον αὐτῶν) in mollitiem mutatur; sic anima, caelesti illo igne amoris in se recepto, e dura fit mollis, e mala bona, e terrestri caelestis. (hom. 4, 14.) Tunc omnia mundana respuit, ipsi charissimorum fratrum et cognatorum amori renuntians, quemadmodum amor conjugalis a patre, matre, fratribus etc. sejungit, omnemque animi affectum, omne desiderium in conjuge defigit. Mth. 19, 5. Eph. 5, 31. de elev. ment. 9. hom. 4, 15.**).

Qui Deum vere amare coeperunt: neque ob spem ingrediendi in ejus regnum ei serviunt, tamquam mercaturae et pretii gratia, neque ob metum poenae, quae peccatores expectat; sed in illum tamquam Deum unicum et creatorem suum amore incensi †) et recta conclusionis ratione agnoscentes, servos sic agere debere, ut domino placeant. Negari nequit, magna prudentia in his opus esse; multa enim ejusmodi integro amori impedimenta obstant, quid quod omnia,

---

*) Haec verba Cassederus de morte intelligit, et provocat ad mysticum quemdam Franco-gallum (Bernier de Louvigni) qui inter orationem animam exhalaverit. Equidem propter sequentia et antecedentia ad ecstasin referre maluerim.

**) Armůt ist ein glicheit gottes. Was ist got? Got ist ein abegescheiden wesen von allen creaturen, ein friges vermůgen, ein luters wůrcken; also ist armůt ein abegescheiden wesen von allen creaturen. Was ist abegescheiden? daz an niht haftet: armůt haftet an niht, und niht an armůt. Nu mõhte man sprechen: alle ding haftent an iht, wan alle dinge werdent enthalten von iht; waz ist danne eines armen menschen enthalt? Ein arm mensche haftet an niht daz under ime ist, danne alleine an dem, das uber alle dinge erhaben ist. Es sprichet Sanctus Augustinus: daz beste us allen dingen ist got. Und daz sůchet armůt und dem haftet es an und keine andern; und daz ist ouch der oberste adel der armůte das es alleine ane haftet dem aller õbersten und daz nyderste gentzliche lat als verre es můgeliche ist. Tauler (Schm. 121.)

†) Amor integer, de quo imprimis multus est Fenelonius (pur amour).

quae in hac vita geruntur, ipsum facile inquinare vel evertere possunt. de lib. ment. 20.

Perinde ac mulier viro desponsata omnia bona sua et totam dotem in ejus manus propter summum amorem tradit, et quasi projicit, dicens: „Meum quod sit, nihil habeo, bona mea tua sunt, dos quoque tua est, et anima mea et corpus meum tua sunt;“ ita sapiens anima est domino tamquam virgo desponsata, communione cum Spiritu ejus Sancto inita. Et quemadmodum ille, cum in terram descendisset, passus est et crucifixus, ita tu debes cum ipso pati. hom. 32, 9.

Quemadmodum, qui ardenti febri laborat, quemcumque ei afferas cibum et potum, vel suavissimum, abominatur ac respuit: eodem modo, qui Spiritus Sancti caelesti ac venerabili desiderio accensi (*φλεγόμενοι τῷ ἐπουρανίῳ τοῦ πνεύματος ἱερῷ καὶ σεμνῷ πόθῳ*), amore dilectionis Dei in animo sauciati sunt (*καὶ τῷ ἔρωτι τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ τὴν ψυχὴν τρωσθέντες*) etc. — omnia, quae sunt in hoc saeculo praeclara et pretiosa, repudianda et odio habenda esse sentiunt. Rom. 8, 35. hom. 9, 9.*)

6) Deus misericors se ipsum parvum facit, in corpus quasi contrahit, et ita animas fidas quasi induit, se cum iis commiscens, cum ipsis in unum Spiritum coalescens 1 Cor. 6, 17; ita ut anima in animam, hypostasis in hypostasin transeat. Ita talis anima in Christi deitate vivit, ad immortalem vitam tandem pervenit, et infinita voluptate, ineffabili gloria fruitur. Talis animae Deus ignis fit, consumens quidquid aliunde irrepsit Deut. 4, 24. Ebr. 12, 29.; fit gaudium, pax, quies ineffabilis. Incorporat se ipsum quasi in cibum spiritualem, in indumentum et ornatum ineffabilis splendoris, et sic animam spirituali laetitia implet. de elev. ment. 7. 8. hom. 4, 9. 10.

Vox animae cum Spiritu Sancto unitae est Rom. 8, 35: *Τίς ὑμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ; θλίψις; ἢ στενοχωρία; ἢ διωγμός, ἢ λιμός; ἢ γυμνότης; ἢ κίνδυνος; ἢ μάχαιρα;* de lib. ment. 12.

Illa animae vita est et requies, mystica nempe et ineffabilis

---

*) Ich spriche: danne ist der mensche erstorben so er allen undugenden abegat und alle dugent erkrieget, also daz die dugent sin wesen sy. Und danne so ist er ynnerlich, so ime alles daz pynlich ist daz usserlich ist. Tauler. (Schmidt 124.).

regis caelestis participatio. (ἡ τοῦ ἐπουρανίου βασιλέως μυστικὴ καὶ ἄῤῥητος κοινωνία). hom. 4, 15.

Ille Spiritus nos in se consummat (τελειοῖ εἰς ἑαυτὸ) et consummatis nobis ab omni inquinamento, velut sponsas venustas, animas nostras puras et immaculatas Christo exhibebit; requiescemus in Deo, in regno ejus et Deus in nobis habitabit in infinita saecula. hom. 19, 9.

Si anima adhaeret Domino, in unum Spiritum, in unum temperamentum (κρᾶσις), in unum intellectum (διάνοιαν) coëunt anima et Dominus; corpore in terram projecto, mens tota in caelesti Hierusalem versatur, ad tertium coelum ascendens et conjuncta cum Domino illi servit. Ipse vero in throno magnificentiae in excelsis sedens, in caelesti civitate Sanctorum Hierusalem, propriam imaginem lucis arcanae atque deitatis suae collocavit in corpore ejus; Dominus animae servit in civitate corporis, haec Domino in caelesti civitate. Haec illius haereditatem adit in coelo, ille hujus in terra. Dominus enim fit haereditas animae, anima Domini. Si enim mens peccatorum tam volatilis est et subtilis, ut procul a corpore abesse et peregrinari possit, ibique cum amica vel amico conversari, corpore quasi relicto; multo magis anima, a qua ablatum est velamen tenebrarum, tota in Spiritu in caelis Domino servire potest, totaque in corpore, et ita intellectu extenditur, ut ipsa sit ubivis, et ubi et quando libuerit Christo ministret. Eph. 3, 19. hom. 46, 4.

Dominus cum sit sponsus perfectus, assumit animam sponsam perfectam in sanctam, arcanam et incontaminatam nuptiarum communionem (κοινωνία τοῦ γάμου). hom. 47, 17.

Quum audis de communione sponsi cum sponsa, de choreis, de cantu, de festis, noli de re materiali et terrena cogitare. Haec omnia tantum exempli gratia per accommodationem (εἰς ὑπόδειγμα συγκαταβατικῶς) proponuntur; quia, quae illis designantur, ineffabilia, spiritualia, et oculorum carnalium tactum fugientia (ἄψαυστα τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῖς σαρκικοῖς) sunt. Anima vero fidelis et sancta comprehendit; ipsa enim Spiritus Sancti communio, et caelestes thesauri, et chorei, et festa sanctorum illi tantum manifesta sunt, qui ea experientia cognovit; profanus (ἀμύητος) ne ideam quidem eorum sibi formare potest (οὐδὲ ἐννοῆσαι). de char. 13.

7) Quemadmodum ab una ignis substantia multae lampades et lucernae accenduntur et splendent, ita Christiani ab una natura

incensi lucent, ignis nempe divini, vel adhuc in terra degentes. hom. 43, 1.

Linguae hujus mundi variae sunt; quilibet enim populus propriam linguam habet. Christiani vero etiam nunc (in hac vita) unam ediscunt linguam, et omnes ab una sapientia erudiuntur, sapientia scilicet divina, non hujus mundi. Et licet in creatis rebus ambulent Christiani, in novas tamen visiones caelestes (*καινοτέρας θέας οὐρανίους*) incidunt, in gloria, in mysteriis, a rebus conspicuis occasionem sumentes (*λαμβάνοντες τὰς ἀφορμάς*). hom. 32, 1.

8) Verbum Dei Deus est, et verbum mundi mundus est; inter quae est magnum discrimen; utriusque etiam proles similis est parentum. Propago Spiritus non potest verbo mundi se dare, nisi cum eo perire velit, et veram requiem amittere, quae est illic, unde prognata est. Nec potest propago mundi Spiritui accedere (1 Cor. 2, 14.). Homo spiritualis, si mundo se tradit, moritur, nec potest homo carnalis spiritui se tradere, nisi antea moriatur. Vides, vivere aliter non licere, quam ea, qua quisque natus est, ratione. hom. 46, 1. 2.

Quemadmodum ferrum vel plumbum, vel aurum vel argentum in ignem conjecta, solvuntur et naturae duritiem, in mollitiem mutata, amittunt; et quanto diutius in igne versantur, tanto magis solvitur et mutatur naturalis eorum durities propter calidam ignis vim; eodem modo et anima, Spiritus ope regenerata, a naturali suo habitu, a duritie peccati mutatur, et cetera omnia superflua ducit, in solo caelesti sponso, quem recepit, requiescens in ferventi et ineffabili ejus dilectione. hom. 4, 14.

9) Perfecti Christiani caelesti unctione peruncti (*ἐπουράνιον χρίσμα χριόμενοι*) ipsi fiunt quasi reges et prophetae caelestium mysteriorum. Quinimo sunt filii et domini, vincti et captivi Dei, *βεβυθισμένοι*, crucifixi, consecrati (*ἀφιερωμένοι*). Hac ipsa unctione caelestis et spiritualis exultationis oleo facta (quod non est oleum terrestre e planta conspicua et ligno visibili, sed e planta caelesti, e ligno vitae Jesu Christi defluens), recipiunt signum regni illius aeterni, perennis virtutis, arrhabonem Spiritus Sancti, ipsum Spiritum et Paracletum, fiunt *συμμύσται* regis caelestis, ingrediuntur palatium regis, ubi sunt angeli et spiritus sanctorum, vel quum in hoc versantur mundo. Licet enim integram haereditatem, ipsis in illo saeculo praeparatam, nondum adierint, certissimi tamen

sunt in arrhabone, quem acceperunt, ac si jam coronati essent. hom. 17, 1. 2.

Homo, qui caelestem dulcedinem gustavit, in quo gratia insita cum anima quasi coaluit, cujus totum se arbitrio dedidit, tantum excellit prae vulgo, quantum pastor ratione praeditus eminet supra brutas pecudes; aliam enim sapientiam, alium spiritum, aliam mentem habet 1 Cor. 2, 6.; omnes dijudicat 1 Cor. 2, 5., ipse a nemine judicandus. de char. 23. hom. 9, 8.

Per Spiritum Sanctum peccatum eradicatur, et homo restituitur in primam Adami puri formationem (*ἀπολαμβάνει τὴν πρώτην πλάσιν τοῦ καθαροῦ Ἀδάμ*). Sed praestantior adeo Adamo fit, siquidem deificatur (in Deum abit) homo (*ἀποθεοῦται*). hom. 26, 2.

Quemadmodum Dominus induit corpus, relinquens omnem principatum et potestatem: eodem modo Christiani induuntur Spiritu Sancto et requie fruuntur. Christiani, sicut ipse Dominus, extrinsecus quidem tentantur, intrinsecus vero Deitate referti sunt, nec ullo damno, ulla injuria afficiuntur. Qui hos gradus consecutus est, hic ad perfectam Christi dilectionem, ad plenitudinem Deitatis pervenit (*εἰς τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος*). hom. 26, 15.*)

10) Quando illa ipsa lux, quae in anima resplendet, lumini ex intimis adytis et profundissimis splendenti se quasi patefacit (*ἐνδοτέρῳ καὶ βαθυτέρῳ διανοίγει φωτί*)**), totus homo dulcedine illa et contemplatione (*θεωρία*) absorptus, sui compos vix esse videtur; sed stulti instar et fatui mundo subesse (*ὑπεῖναι τῷ κόσμῳ*), propter inusitatas illas amoris et voluptatis illecebras, et mysteriorum, quibus initiatus est, profunditatem. Ita saepe accidit, ut tali tempore per-

---

*) Do gebruchet got sin selbes, got lebet und wesent und würcket in ir (in anima). In disem wùrt die sele alzûmole gotvar, gôttelich und gôttig; sù wùrt alles daz von genoden das got ist von natûren; — also gotvar wùrt sù do, were das sù sich selber sehe, sù sehe sich zûmole fùr got, oder wer sù sehe, der sehe sù in dem kleide, in der varwe, in der wise, in dem wesende gottes von genoden. — Und sù sol sich selber ansehen also got, wanne got und sù sint ein in disem. Tauler (Schm. 129.).

**) Difficilior hic locus ita mihi videtur explicandus esse: Lux, quae in anima est naturalis, residuum quoddam imaginis divinae, qua caelestem divini Spiritus lucem in nobis recipere possumus (der Anknüpfungspunkt und das Auffassungsorgan für das himmlische Licht), se huic aperire debet, hanc in se recipere. Id quando fit etc.

fectorum graduum mensuram attingat (τελείων αὐτὸν ὑποβῆναι μέτρων), et ab omni peccato liber et incontaminatus sit. de char. 9.

Quando Deus vult, in tali anima fit ignis, omnia impura, omnem alienam libidinem exurens (Deut. 4, 24. Ebr. 12,29.) Quando vult, fit ineffabilis et arcana requies (ἀνάπαυσις ἄῤῥητος καὶ ἄφραστος) ut in requie deitatis (ἐν ἀναπαύσει θεότητος) anima requiescat. Quando vult fit gaudium et pax, fovens et demulcens animam (θάλπων καὶ περιέπων). Ut hominis cor laetitia et exultatione repleat, Deus in quamcumque vult formam transit; in cibum et potum se transformat, Joh. 6, 35. ut recreet modo ineffabili et laetitia spirituali repleat animam, Joh. 6, 38. 4, 14. 1 Cor. 10, 4. Huic spirituali mensae Moses accessit, et multis deliciis recreatus est, cum quadraginta dies in monte moraretur. hom. 4, 11. 12. 13.

Dona linguarum et misericordiae (Cor. 13, 1.) elementaria sunt (προτρεπτικά) et, qui illis praediti, quamvis in luce versentur, infantes (νήπιοι) tamen sunt; nisi ad perfectam charitatem pervenerint, quod est vinculum perfectionis Gal. 3, 14., bello adhuc sunt implicati. Qui haec assecuti sunt, postea a gratia devincti et captivati sunt. hom. 26, 16.

Lex illa de sabbatho celebrando in V. To. typus est et umbra veri sabbathi spiritualis. Anima, quae liberata est a malis et obscoenis cogitationibus, verum sabbathum celebrat, veram requiem requiescit, otium agens (ἀργοῦσα) et liberata ab omnibus operibus tenebrosis. hom. 35, 1.

Regnum caelorum inter nos esse (Luc. 17, 21.), quid aliud potest significare, quam caelestem Spiritus Sancti laetitiam dignis animabus efficaciter praesignificatam esse (ἐνεργῶς ἐνσημαίνεσθαι), siquidem fruitionis et exultationis arrham velut quamdam et praelibationem operatione gratiosa Spiritus Sancti acceperunt. Ps. 82, 3. 72, 6. de or. 1.

Quibus contigit, ut filii Dei fierent, quod Christum in ipsis effulgentem gestant, variis modis et diversis a Spiritu Sancto reguntur, et in adytis cordis a gratia demulcentur (περιθάλπονται). Nunc tamquam opiparis epulis sancti sibi excipi et satiari videntur, sponsae instar cum sponso spirituali gaudio frui, nunc ad incorporeorum angelorum modum tanta levitate et agilitate ferri, ut corpore se premi amplius vix putent. Nunc veluti potu aliquo exhilarati et inebriati ineffabili mysteriorum Spiritus ebrietate exultant. Nunc

luctu et fletu squallentes de hominum salute prae magno erga omnes amore ingemiscunt. Tanto saepe amore, cujus voluptas verbis exprimi nequit, inflammantur, ut omnes sine discrimine in charitatis visceribus recipere et fovere cupiant. Nonnumquam adeo se vilipendunt, ut se omnibus inferiores esse, vel postremos existiment. Nunc inenarrabili Spiritus gaudio absorbentur, heroum instar regiis armis indutorum et in bellum descendentium cum certa victoriae spe, invisibiles hostes pedibus jam quasi conculcantes. de char. 6.

Imaginem et similitudinem animae, quae dominum suum amplexura et sedes gloriae futura erat, mystice et typice Ezechiel describit. Ez. 1, 1. sq. 10, 2. sq. Anima enim, cui contigit Spiritus Sancti, illam sibi sedem et habitationem praeparantis, lumine perfundi, quae gloriae inenarrabilis pulcritudine illustrata est, tota fit lumen, tota facies, tota oculus, nec ulla est ejus pars, quae oculis lucis spiritualibus plena non sit; nec anteriorem, nec posteriorem partem ullam habet, sed tota undique facies est, descendente super illam et in ea quasi insidente ineffabili pulcritudine gloriae lucis Christi. Soli similis est, qui totus undique lumine coruscat; omnibus partibus perfectum est lumen. Christus eam fert, agit, portat, gestat, eam coronat et decorat pulchritudine spirituali; illa est manus hominis, quae sub cherubim est. Ipse Christus auriga quasi est, in ea vehitur, viamque ei monstrat. Quatuor illa animalia currum gestantia, typus sunt praecipuarum animae rationalis partium; sunt enim quatuor animalia dominantia, aquila volucrum, leo agrestium, taurus mansuetorum, homo omnium creaturarum. Sunt autem *θέλημα, συνείδησις, νοῦς, ἀγαπητικὴ δύναμις,* per quae animae currus gubernatur, in quibus Deus requiescit, habenis Spiritus eam regens, et prout placuit, viam ducens. Et abjecto corpore ducit et regit in coelis animam sapientia; et rursus, quando libet, venit corporaliter et cogitationibus inest easque, si placet, in fines terrae deducit et animae mysteriorum revelationem ostendit. hom. 1, 1 — 3.

Jesus Christus mystice nunc animam illuminat et animis Sanctorum dominatur. Absconditus vero ab oculis hominum Christus solis animae oculis conspiciendum se praebet usque ad diem resurrectionis. hom. 2, 2.

Si ergo factus sis Dei thronus, illum tibi insidentem habens; si anima tua tota sit lux, tota spiritualis oculus, si pastus es cibo illo spirituali, si satiatus aqua viva et spirituali vino, quod cor laetificat,

si animam tuam induisti vestibus ineffabilis lucis; si horum omnium interior tuus homo expertus est abundantiam, vivis vita aeterna, jam nunc cum Christo quiescens. de elev. ment. 12.

Christum, qui promisit, in nobis se habitaturum, anima in se recipit, cumque ipso amissam haereditatem suam recuperat et digna judicatur, quae in templum Dei transmutetur (*ναὸς θεοῦ γίνεσθαι καταξιοῦται*). de pat. et discr. 19.

Anima, pristinae naturae restituta, puris oculis gloriam veri luminis adspicit, verumque solem justitiae fulgentem in ipso corde. Quemadmodum enim justi in die consummationis hujus mundi solo lumine et gloria fruentur, nil intuentes, quam Christum in gloria ad dextram Dei sedentem: sic, qui sunt ex hoc saeculo in aliud captivi abducti, ibi contemplantur, quaecumque sunt pulcra et admiratione digna; jam in hac terra conversationem nostram in coelis habemus; mens prorsus purgata Christi splendorem semper intuetur, sicut oculus purus solem; cum Domino est noctu diuque, quemadmodum corpus Domini cum deitate semper conjunctum est in Spiritu Sancto. hom. 17, 3. 4. *).

Dives in gratia semper noctes atque dies in perfecto gradu persistit, liber ac purus, semper tamen captivus et suspensus. hom. 8, 4.

Gloria in facie Mosis effulgens expressam velut ex antiquo exemplari formam (*τύπον καὶ ὑπόδειγμα*) repraesentavit conspicuae illius claritatis, qua Deus primi hominis vultum insigniverat. Eandem gloriam veri Christiani omnes intus in mente induunt, quando, devicta morte, i. e. affectibus pravis et libidinibus ita debilitatis, ut operari amplius nequeant, gloria Spiritus Sancti in animis eorum effulget, ita ut illam sentiant perfecteque ejus sibi conscii sint (*ἐν πάσῃ αἰσθήσει καὶ πληροφορίᾳ*) de pat. et discr. 4.

Haec immortalis Spiritus in revelatione gloria nunc in immortali, qui latet, homine exsplendescit, nec potest extingui. 2 Cor. 5, 18. de lib. ment. 21.

---

*) In dem abgrûnde verlûret sich der geist so tieffe und in so grûndeloser wisen, das er von ime selber nût enweis; er enweis do noch wort noch wise noch smacken noch fûlen, bekennen noch minnen; danne es ist alles ein luter blos einvaltig got, ein unsprechenlich abgrûnde, ein wesen, ein geist; von genaden git got dem geiste doz das er ist von natûren, und het dem geiste do geeiniget das namelose, formelose, wiselose wesen. Tauler (Schm. 129.)

11) Animae vere Deum amantes et desiderantes aliorum admonitione non tantopere indigent neque ad desiderium caeleste, neque ad amorem Domini, etiamsi aliquatenus imminui utrumque patientur; sed totae penitus cruci Christi affixae quotidie proficere se atque appropinquare caelesti sponso sentiunt. Vulneratae enim caelesti desiderio et esurientes justitiam virtutis, illustrationem Spiritus Sancti summa et insatiabili cupiditate expectant. Etiamsi per fidem ad mysteriorum divinorum cognitionem pervaserint, nil de se existimant; quo magis spiritualibus donis potiuntur, eo magis aviditas ipsarum et desiderium insatiabile crescunt; quo magis proficere se sentiunt, eo magis esuriunt et sitiunt communionem et augmentum gratiae; quo ditiores sunt, eo pauperiores sibi ipsae videntur Sir. 24, 28. Tales, tamquam flagrantes animae dignae fiunt vita aeterna, liberatione a libidinibus; et illustratione et fruitione arcanae et ineffabilis mysticae Spiritus Sancti communionis in abundantia gratiae perfecte potiuntur. hom. 10, 1. 2.

Quemadmodum virgo dives, desponsata viro, quaecumque acceperit dona ante conjunctionem, non quiescit in illis, donec tempus nuptiarum adveniat et conjuge potita sit; sic anima aptata in sponsam (ἁρμοσθεῖσα εἰς νύμφην) caelesti sponso accipit arrhabonem Spiritus, charismata, sed non conquiescit in illis, donec plenum consortium consequatur, i. e. dilectionem, quae non excidit, quae omnis passionis et concussionis expertes facit eos, qui eam desiderant. Aut quemadmodum infans ornatus margaritis et vestibus pretiosis, ubi esurit, nihili haec aestimat, omnemque curam habet, ut mamillae alimento potiatur, idem accidit in spiritualibus donis Dei. hom. 45, 8.

Anima, quae vere Deum et Christum diligit, licet mille justitiae opera ediderit, ita se gerit, ac si nihil fecerit, propter insatiabile desiderium ad Dominum perveniendi; licet vigiliis et jejuniis corpus consumserit, ita se habet, ac si numquam coepisset de virtutibus elaborare; licet dona Spiritus varia, quid quod revelationes et mysteria caelestia consequi illi contigerit, ita de se judicat, ac si ne nunc quidem quidquam possideat, propter immensam et insatiabilem Domini dilectionem; sed quotidie esuriens et sitibunda, per fidem et dilectionem in precibus perseverans, mysteria gratiae omnemque virtutis firmitatem summopere appetit, amore Spiritus caelestis sauciata, ardens desiderio sponsi caelestis, per gratiam, quam in se semper habet, hoc quotidie excitans et acuens, gestiens, ut

digna judicetur mystica et arcana Spiritus Sancti in sanctificatione communione. hom. 10, 4.

Etiamsi gustum caelestem (*γεῦσιν ἐξ οὐρανοῦ*) acceperis, particeps divinae sapientiae factus sis, noli tamen extolli et perfectum te opinari. Instar avari enim verus Christianus, quo plura congessit, eo plura desiderat. Quanto quis magis divitiis gratiae abundat, tanto magis sentit, se esse pauperem. Tales Christiani animam suam non pretiosam esse judicant, sed tamquam ipsi nihili sint, coram Deo humiliantur, servosque se reputant omnium hominum. Tali humilitate Deus delectatur, in tali anima habitat. de char. 3.

12) Tunc opus gratiae perfectum in homine apparet, quando liberam ipsius voluntatem post magnam tentationem Spiritui Sancto placere manifestum est, et quando progressu temporis probationem et perseverantiam (*δοκιμὴν καὶ ὑπομονήν*) ostendit (donum perseverantiae Augustini); Josephi instar et Davidis, qui obsequio per multas vexationes reges facti sunt. etc. hom. 9, 1.

Qui se ipsum existimat Dei mandatis perfecte satisfacere, errat, quod de se ipse arroganter judicium fert, non expectans judicem verum. Tunc demum Christo digni et filii Dei sumus, quando testimonium reddit nostro spiritui Spiritus Sanctus Rom. 8, 16., non quando propriae opinionis arrogantia justos nos ipsi declaravimus. 2 Cor. 10, 18. de perfect. in Sp. 12.

Primus, ut vidimus, Macarius est, qui terminologiam quamdam mysticam excoluit; jam huic capiti, quod est de unione mystica, theologiae mysticae dogmate primario, in quo excolendo imprimis elaborat, aptissime adjungentur nonnullae dictiones mysticae, quas e magna, quae est in auctore nostro, copia elegimus, ne desint exempla quaedam.

Οἷς ἐνέσταξέ τις ῥανὶς τοῦ ἀγαθοῦ πνεύματος, καὶ τὴν καρδίαν θεῖος ἔπληξεν ἔρως. de pat. et discr. 21.

Ὑπὸ τῆς θείας ἀγάπης τοῦ πνεύματος τῶν ἀνθρώπων πάντων περικαιόμενοι — ὥςπερ τινὶ πότῳ ἐνευφραινόμενοι καὶ μεθύοντες μέθην ἄφραστον τῶν μυστηρίων τοῦ πνεύματος — ἀνεκλαλήτῳ χαρᾷ τοῦ πνεύματος κατεπόθησαν. de char. 6.

Ὅλως τῷ παρακλήτῳ πνεύματι διὰ τῆς ἀῤῥήτου κοινωνίας ἑνωθείς, —

ψυχὴ καταξιωθεῖσα πνεῦμα γενέσθαι, ὡς συγκραθεῖσα τῷ πνεύματι. de char. 7.

Ἁρπάζεται παρὰ τῆς εὐχῆς ὁ ἔσω ἄνθρωπος καὶ κάτοχος ἀπείρῳ βάθει τοῦ αἰῶνος ἐκείνου γίνεται — ἔχει αὐτὸν ἀπόῤῥητος ἡδονή, ὡς ἐκπλήττεσθαι τὸν νοῦν μετέωρον ὅλον ὄντα καὶ ἡρπαγμένον — μεστωθέντων αὐτῷ τῶν λογισμῶν, καὶ εἰς ἀπέραντά τε καὶ ἀκατάληπτα πράγματα αἰχμαλώτων αὐτῷ ἀπαχθέντων, ὥστε ἅμα τῇ εὐχῇ συναπελθεῖν καὶ τὴν ψυχήν. de char. 8.

Ἔστι δ᾽ ὅτε καὶ αὐτὸ τὸ φῶς τὸ φαῖνον ἐν καρδίᾳ τῷ ἐνδοτέρῳ δήπου καὶ βαθυτέρῳ διανοίγει φωτὶ, ὥστε ὅλον τὸν ἄνθρωπον τῇ γλυκύτητι ἐκείνῃ καὶ θεωρίᾳ καταποθέντα μηκέτι ἐν ἑαυτῷ εἶναι, ἀλλ᾽ ὡς μωρόν τε καὶ βλαβερὸν ὑπεῖναι τῷ κόσμῳ διὰ τοὺς καινοὺς ἴυγγας (illecebras) ἀγάπης καὶ ἡδονῆς καὶ τὸ βάθος ὧν ἠξίωται μυστηρίων. de char. 9.

Γεύσασθαι καὶ πεῖραν ἔχειν ἐκείνου τοῦ αἰῶνος — διαναπαύεσθαι ἐν τῇ χάριτι — μυστηρίων καὶ ἀποκαλύψεων κοινωνὸν γίνεσθαι — εἰς ἡδύτητα πολλὴν τῆς χάριτος εἰςιέναι. de char. 12.

Τὸ τοῦ γάμου ἔνδυμα ἡ τοῦ πνεύματος ἁγίου χάρις — ἣν ὁ μὴ ἐνδῦναι γεγονὼς ἄξιος, τοῦ ἐπουρανίου γάμου καὶ τοῦ δείπνου τοῦ πνευματικοῦ κοινωνὸς οὐκ ἔσται. — Θῶμεν σπουδὴν τοῦ πνευματικοῦ καὶ θείου πιεῖν οἴνου καὶ μεθυσθῆναι μέθην νηφάλιον, ἵν᾽ ὥςπερ οἱ οἴνου διακορεῖς λαλίστεροι γίνονται, οὕτω καὶ ἡμεῖς τοῦ πνευματικοῦ διάπλεοι γεγονότες οἴνου μυστηρίων θείων λαλήσωμεν διηγήματα. Ps. 22, 5. de char. 15.

Διὰ θερμῆς καὶ φιλαρέτου διαγωγῆς τῶν ἐπουρανίων τοῦ πνεύματος μυστηρίων πείρᾳ καὶ αἰσθήσει γνῶσιν λαμβάνειν — ἀνελθεῖν εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπιστρεφόμενον περὶ τὴν γῆν καὶ ἐκεῖ ἐργάζεσθαι ἔργα πνευματικὰ καὶ τὰ κάλλη τοῦ πνεύματος κατοπτεῦσαι. de char. 17.

Ἔχειν τὴν τοῦ πνεύματος ἀγαλλίασιν μυστικῶς ἐν τῇ καρδίᾳ ἐνεργουμένην. de char. 29.

Ψυχὴ σύνοικον ἔχειν ἀξιωθεῖσα τὸν κύριον καὶ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ πνεύματος δύναμιν ἐνεργητικῶς καὶ κατὰ πᾶσαν δύναμιν καὶ πληροφορίαν ἐπισκηνώσασαν — οἷς τοῦ θείου πνεύματος ἐπεφοίτησε χάρις καὶ τοῖς βαθυτάτοις τοῦ νοὸς αὐτῶν ἐγκατῴκησεν. de lib. ment. 12.

Ψυχὴ ἐμπληροφορουμένη τῇ γλυκύτητι καὶ τοῦ πνεύματος ἀναπαύσει διὰ τὴν αὐτῆς νηπιότητα τῇ τοῦ κυρίου χρηστότητι. de lib. ment. 14.

Δι᾽ ἐνεργείας θείας εἰς πεῖραν ἰέναι, ὅπερ ἐστὶν ἡ ἐπουρανίου φωτὸς ἐν ἀποκαλύψει καὶ δυνάμει τοῦ πνεύματος ἔλλαμψις. de lib. ment. 21.

Πᾶσα ψυχὴ, διὰ σπουδῆς καὶ πίστεως τέλειον ἐνδύσασθαι τὸν Χριστὸν ἐντεῦθεν κατὰ δύναμίν τε καὶ πληροφορίαν χάριτος καταξιωθεῖσα, καὶ τῷ

ἐπουρανίῳ τῆς ἀφθάρτου εἰκόνος φωτὶ ἐνωθεῖσα, καὶ νῦν μὲν μυστηρίων ἐπουρανίων γνῶσιν ἐν ὑποστάσει μυεῖται πάντων. de lib. ment. 24.

Τῶν μὲν ἁγίων ἡ θεοειδὴς τοῦ πνεύματος εἰκὼν ἀπὸ τοῦ νῦν ἔνδον ὥςπερ ἐντυπωθεῖσα καὶ τὸ σῶμα θεοειδὲς ἔξω καὶ ἐπουράνιον ἀπεργάσεται. — Ψυχὴ καταξιωθεῖσα κοινωνῆσαι τῷ πνεύματι τοῦ φωτὸς αὐτοῦ καὶ καταλαμφθεῖσα ὑπὸ τοῦ κάλλους τῆς ἀῤῥήτου δόξης αὐτοῦ, ἑτοιμάσαντι αὐτὴν ἑαυτῷ εἰς καθέδραν καὶ οἰκητήριον, ὅλη φῶς γίνεται καὶ ὅλη πρόςωπον καὶ ὅλη ὀφθαλμός, — ἐπιβεβηκότος ἐπ᾽ αὐτὴν καὶ ἐπικαθεσθέντος τοῦ ἀῤῥήτου κάλλους τῆς δόξης τοῦ φωτὸς τοῦ Χριστοῦ, — ὅλη πνεῦμα γίνεται, οὕτως κατασκευάζοντος αὐτὴν Χριστοῦ, τοῦ φέροντος καὶ ἄγοντος καὶ βαστάζοντος καὶ φοροῦντος αὐτὴν, καὶ οὕτως εὐτρεπίζοντος καὶ κατακοσμοῦντος κάλλει πνευματικῷ. hom. 1, 2.

Ψυχὴ καὶ νῦν προςδοξαζομένη καὶ τῷ πνεύματι ἀνακιρνωμένη. hom. 1, 3.

Ὁ θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον (Deut. 4, 24. Ebr. 12, 29.), *ὅτε βούλεται, ἀνάπαυσις γίνεται ἄῤῥητος καὶ ἄφραστος, ἵνα ἀναπαῇ ἀναπαύσει θεότητος ἡ ψυχή· ὅτε βούλεται, χαρὰ καὶ εἰρήνη, θάλπων καὶ περιέπων αὐτήν.* hom. 4, 11.

Τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ εἰς ἀνάπαυσιν τῶν ἀξίων ψυχῶν γίνεται καὶ ἀγαλλίασιν καὶ τροφὴν καὶ ζωὴν αἰώνιον· σωματοποιεῖ γὰρ ἑαυτὸν εἰς βρῶσιν καὶ πόσιν ὁ κύριος (Joh. 6, 35.), *ἵνα ἀναπαύσῃ ἀνεκλαλήτως καὶ ἐμπλήσῃ εὐφροσύνης πνευματικῆς τὴν ψυχήν* (Joh. 6, 38. 4, 14. 1 Cor. 10, 4.). — *πάντα περιττὰ τοῖς ἁγίοις καταφανήσεται τῷ νενικῆσθαι αὐτοὺς τῷ ἐπουρανίῳ πόθῳ καὶ τῇ πτώσει αὐτοῦ* (exinanitioni Christi?) *ἡνῶσθαι.* hom. 4, 12. 15.

Οἷς ἐνέσταξεν ἐκείνη ἡ ῥανὶς τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς τῆς θεότητος, καὶ ἔτρωσε τὴν καρδίαν αὐτῶν ἔρωτι θείῳ πρὸς τὸν ἐπουράνιον βασιλέα Χριστὸν, εἰς ἐκεῖνο τὸ κάλλος δέδενται καὶ τὴν ἀνεκλάλητον δόξαν καὶ ἄφθαρτον εὐπρέπειαν, καὶ τὸν ἀνεννόητον πλοῦτον τοῦ ἀληθινοῦ καὶ αἰωνίου βασιλέως Χριστοῦ, οὗ τῇ ἐπιθυμίᾳ καὶ τῷ πόθῳ αἰχμαλωτίζονται, ὅλοι ἐξ ὅλου πρὸς αὐτὸν τυγχάνοντες, καὶ ἐπιθυμοῦσι τυχεῖν ἐκείνων, ὧν ἐνοπτρίζονται διὰ τοῦ πνεύματος ἀλαλήτων ἀγαθῶν. hom. 5, 6.

Εἰςέρχεται εἰς αὐτὸν ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ καὶ κατέχει αὐτοῦ τὰ μέλη καὶ τὴν καρδίαν, καὶ αἰχμαλωτίζεται τὸν νοῦν εἰς ἀγάπην θεοῦ. hom. 7, 3.

Ἐν μέθῃ ἐξάπτεται τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ. hom. 8, 2.

Τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ διαλέλυται καὶ νενίκηται ὁ θάνατος (dictio de ecstasi). hom. 8, 4. 5.

Ἡ ψυχὴ τῆς ἐκ τῶν παθῶν ἐλευθερίας τυχεῖν καταξιοῦται, καὶ τῆς

υἱοθεσίας τοῦ πνεύματος πλήρωσιν λαμβάνει καὶ τῆς ἐν μυστηρίῳ λαλουμένης etc. hom. 9, 7.

Καταξιοῦται (ἡ ψυχὴ) μετ᾽ αὐτοῦ (τοῦ πνεύματος τοῦ Χριστοῦ) εἰς ἓν πνεῦμα καὶ μίαν κρᾶσιν γίνεσθαι (1 Cor. 6, 17.). hom. 9, 12.

Ὅλαι (αἱ ψυχαί) ἐξ ὅλου τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ προσηλωμέναι πρὸς τὸν πνευματικὸν νυμφίον ὁσημέραι πνευματικῆς προκοπῆς ἐν ἑαυταῖς αἴσθησιν ἐπιγιγνώσκουσιν. hom. 10, 1.

Τῶν παθῶν τῆς ἀπολυτρώσεως καταξιοῦνται καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τῆς ἀῤῥήτου καὶ μυστικῆς κοινωνίας ἐν πληρώματι χάριτος ἔκλαμψιν καὶ μετουσίαν τελείως κομίζονται. hom. 10, 2.

Ψυχὴ ἀληθῶς φιλόθεος ὡς μηδὲν κεκτημένη ἐν ἑαυτῇ ἔχει, διὰ τὴν ἄμετρον καὶ ἀκόρεστον πρὸς κύριον ἀγάπην· ἀλλὰ πᾶσαν ἡμέραν ἔκπεινος καὶ ἔκδιψος διὰ πίστεως καὶ ἀγάπης ἐν προσκαρτερήσει εὐχῆς εἰς τὰ τῆς χάριτος μυστήρια καὶ εἰς πᾶσαν κατάστασιν ἀρετῆς ἀκορέστως ἔχει, ἔρωτι πνεύματος οὐρανίου τετρωμένη, καὶ πόθον ἔμπυρον διὰ τῆς χάριτος ἀεὶ ἐν αὐτῇ πρὸς τὸν οὐράνιον νυμφίον ἀνακινοῦσα, ἐπιθυμοῦσα τελείως καταξιωθῆναι τῆς πρὸς αὐτὸν μυστικῆς καὶ ἀῤῥήτου ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος κοινωνίας, ἀποκεκαλυμμένη τῷ τῆς ψυχῆς προσώπῳ, καὶ ἐνατενίζουσα τῷ ἐπουρανίῳ νυμφίῳ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον ἐν φωτὶ πνευματικῷ καὶ ἀνεκλαλήτῳ, ἀνακιρνωμένη τούτῳ ἐν πληροφορίᾳ πάσῃ, συμμορφιζομένη τῷ θανάτῳ αὐτοῦ, ἐν ἐπιθυμίᾳ πολλῇ τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ θάνατον προσδοκῶσα πάντοτε, etc. — *ἵνα καθαρισθεῖσα διὰ τοῦ πνεύματος, ψυχῇ καὶ σώματι ἁγιασθεῖσα, καθαρὸν σκεῦος εἰς ὑποδοχὴν τοῦ ἐπουρανίου μύρου καὶ μονὴν τοῦ ἐπουρανίου καὶ ἀληθινοῦ βασιλέως Χριστοῦ γίνεσθαι καταξιωθῇ.* hom. 10, 4.

Αἱ πνευματικαὶ ψυχαὶ δέχονται τὸ θεϊκὸν καὶ ἐπουράνιον πῦρ ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ἐν τῷ κρυπτῷ, καὶ αὐτὸ ἐκεῖνο μορφοῖ εἰκόνα ἐπουράνιον εἰς τὴν ἀνθρωπότητα. hom. 11, 2.

Οἱ τέλειοι ὄντες συμμύσται ἐπουρανίου βασιλέως. hom. 17, 1.

Ἐπηγγείλατο ὁ κύριος τοῖς πιστεύουσι δωρήσασθαι τὰ μυστήρια τῆς ἀῤῥήτου κοινωνίας τοῦ πνεύματος. hom. 18, 11.

Ἡ ψυχὴ φοροῦσα καὶ ἠμφιεσμένη τὸ ἀῤῥήτον καὶ ἄφθαρτον καὶ πνευματικὸν ἔνδυμα αὐτὸν τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν ἀληθείᾳ. hom. 20, 2.

Οὐ μὴ αὐγάσῃ φωτισμὸς τοῦ πνεύματος ἐν τῇ ἐσκοτισμένῃ ψυχῇ καὶ λάμψῃ ἐν αὐτῇ ἡμέραν ἁγίαν. hom. 24, 5.

Οὔπω γεγόναμεν ἄδολος πορφύρα βασιλικὴ οὔτε ἀνόθευτος εἰκὼν θεϊκή. hom. 25, 5.

Ἄλλος δέ τις φρόνιμος ἀσκητὴς οὕτως ἦν πλούσιος ἐν τῇ χάριτι, ὡς

εὐχόμενος ἐγγύς μου κατανύττεσθαι· ἔβραττε γὰρ ἐν αὐτῷ ἡ χάρις. hom. 27, 16. — κατάνυξις compunctio, ἔρχεσθαι εἰς κατάνυξιν. hom. 27, 20.

Ὥςπερ ὁ εἰκονογράφος προςέχει τῷ προςώπῳ τοῦ βασιλέως καὶ γράφει, καὶ ἐπὰν ἐξ ἐναντίας ᾖ τὸ πρόςωπον τοῦ βασιλέως προςέχον αὐτῷ γράφοντι, εὐκόλως καὶ καλῶς ἐκεῖνος ζωγραφεῖ τὴν εἰκόνα, — τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ καλὸς ζωγράφος Χριστὸς τοῖς πιστεύουσιν αὐτῷ καὶ ἀτενίζουσι διὰ παντὸς πρὸς αὐτὸν εὐθέως ζωγραφεῖ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐπουράνιον ἄνθρωπον ἐκ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος, ἐκ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ τοῦ φωτὸς τοῦ ἀνεκλαλήτου. hom. 30, 4.

Χριστιανοὶ ἐποικοδομοῦντες εἰς τὸν στέφανον τοῦ Χριστοῦ. hom. 37, 2.

Κοινωνησάτω ἡ ψυχή σου τῷ θεῷ, ὡς κοινωνεῖ νύμφη νυμφίῳ. hom. 38, 6.

Ἀνάρχῳ νοῒ συγκραθῆναι. de pat. et discr. 18.

Κτίσμα γὰρ οὖσα (ἡ ψυχὴ) εἰς νύμφην τῷ υἱῷ τοῦ βασιλέως ἡρμόσθη, καὶ τῇ ἰδίᾳ αὐτοῦ δυνάμει ὁ θεὸς παραδέχεται αὐτὴν κατὰ μικρὸν συμμεταβαλλόμενος αὐτὴν, ἕως αὐξήσῃ αὐτὴν τῇ ἰδίᾳ αὐξήσει. Τείνει γὰρ αὐτὴν καὶ μηκύνει εἰς ἀπέραντον καὶ ἀμέτρητον αὔξησιν, ἕως ἂν ἄμωμος καὶ ἀξία αὐτοῦ νύμφη γένηται. Πρῶτον γὰρ γεννᾷ αὐτὴν ἐν ἑαυτῷ καὶ αὐξάνει δι' ἑαυτοῦ, ἕως ἀπολάβῃ τὸ τέλειον μέτρον τῆς ἀγάπης αὐτοῦ. Αὐτὸς γὰρ ὢν τέλειος νυμφίος λαμβάνει αὐτὴν τελείαν νύμφην εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μυστικὴν καὶ ἄχραντον κοινωνίαν τοῦ γάμου, καὶ τότε συμβασιλεύει αὐτῷ εἰς τοὺς ἀπεράντους αἰῶνας. hom. 47, 17.

Caput VI.

De perfectione in vita aeterna.

Neque tamen hic status perfectionis talis est, ut semper in uno eodemque gradu homo maneat; sed potius gratia eum οἰκονομεῖ, ad tempus se subtrahens, partim, quia hanc continuam ecstasin ferre non posset, partim, quia in summo gradu fratribus non posset servire, partim, ut liberum arbitrium, quod in perfectis etiam manet, probetur [1]). Gratia enim in perfectis quoque non cogens est, sed tamen extingui prorsus non potest; ita fit, ut perfecti etiam labantur, quia peccatum in iis non funditus est eversum [2]). Propterea inter perfectos etiam disciplina quadam opus est, quam Spiritus Sanctus administrat, augens constantes, lapsos castigandos diabolo permittens [3]); imprimis vero humilitati est opera navanda *); facile enim aliquis fallitur et gratiam se nactum esse putat, cujus tamen experientiam nondum fecit; de qua loqui quidem et disserere novit, quam tamen in corde suo nondum possidet [4]).

Haec perfectorum quoque τρεπτότης post resurrectionem demum finiet; tunc omnia ea, quibus jam in terra fruebatur, dona et charismata augebuntur, perficientur, ἄτρεπτα fient **). Salus enim ab anima ad corpus eodem modo pertransit, quemadmodum pertransivit peccatum et poena; claritas, quam jam nunc intus in animis Sancti possident, ignis ille caelestis Spiritus post resurrectionem erumpet, et membra coagmentabit et corpora glorificabit [5])†). Prout igitur in hac terra puritati

---

*) Clem. Qu. d. salv. 955. Strom. II, 430. VI, 789.

**) Ἀφθαρσία, ἀθανασία Clem. Strom. II, 450. IV, 567. Qu. div. salv. 951. Paed. I, 115.

†) Profanorum vero et scelestorum corpora, quae nunc mundani spiritus velamen circumvolvit, maculosa in summum dedecus palam omnium oculis demonstrabuntur, quemadmodum animae eorum criminum stigmatibus deformes, tenebrosae et sordidae sunt. de lib. ment. 25.

studuit et gratiae dona, spiritualem sibi thesaurum, collegit, gloria ejus in aeterna vita major minorve erit [6]). Corpus vero, quod itidem bonorum caelestium particeps fiet, ita resurget, ut omnia membra restituantur, sed mutata in divinam naturam; abolita erunt vitia, sexus et conditionis discrimen, sed servata erit personae proprietas [7])*). Typos gloriae, qua anima pariter ac corpus amicientur, in illa luce habemus, quae in Mosis facie resplenduit, et quae Dominum circumfulsit in transfiguratione [8]).

1) Gratia numquam ab homine regenerato prorsus abest nec penitus eradicatur, cum ipso enim in unam quasi naturam coaluit. Neque tamen propterea semper in summo divinae elationis gradu homo moratur, sed, prout conveniens videtur ad ipsius utilitatem, varias gratia vicissitudines dispensat (οἰκονομεῖ), acriorem nunc, nunc languidiorem flammam subministrans, lucem nunc clariorem emittens, nunc fulgorem quasi contrahens vel adeo caliginem obducens, lampade nihilominus inexstinguibiliter ardente, faustos ita festosque dies infaustis jubens succedere. Finge tibi in duodecimo gradu perfectionem residere; nunc licet tibi ad illum gradum pervenisse; sed remittente gratia, nunc ad undecimum, ut ita dicam, rejiceris: non intermittentis enim perfectionis onus homo non posset perferre, perfecti gradus mensura non semper ipsi conceditur, ut fratribus servire et verbi ministerio fungi valeat. de char. 9. 10. hom. 8, 5.

(Ne perfecti quidem Christiani), nec ipsi apostoli Spiritu Sancto pleni, a curis prorsus liberi erant, sed exultationem (ἀγαλλίασιν) eorum

---

*) Similiter Origenes: abolita erunt, quae ad materiam pertinent, carnis crassities, sanguinis fluxus, nervorum, venarum, ossium compages, sed idem tamen σῶμα resurget; injustum enim est, animas in alio corpore puniri et coronari, quam in quo pugnaverunt; injustum est, corpus, quod v. c. virginitatem servavit, corona privari, et solam animam praemio affici, quae non sola pugnavit. Idem ergo corpus resurget, i. e. ea corporis indoles spiritualis, quae in ipso jam in terra inest, et quae δόξῃ potest indui. Orig. de resurr. I, 33. de princ. II, 224. 232. III, 325. c. Cels. VII, 716. In quovis scilicet corpore inest interior quaedam vis formatrix sive ratio (ἐντεριώνη, σπερματισμός), quae corpus effinxit et quae, soluta materia, manebit et movebitur, ita ut in corpus aethereum excrescat. (Cf. quae Redepenning scite disserit Origenes II. p. 122. sqq. 334.)

et ineffabile gaudium sequebatur timor aliquis ex ipsa gratia, quamvis malitiae tentationibus non vexarentur. Nam gratia eos tuebatur, ne a recto umquam deviarent. Sed libertas arbitrii perfectis etiam inest, nec verum est, quod quidam halucinantur, in perfectis nihil esse post acceptam gratiam, nisi quietem et a curis libertatem. A perfectis etiam Deus postulat, ut anima ultro spiritui obediat. de elev. ment. 16.

2) Quemadmodum etiam in loco, in quo lux est, opaca quaedam vis et tenebrosa incumbit, aëre crasso leviter locum adumbrante, etiamsi lucerna ardeat et luceat; sic in perfectis etiam lumini velamen adhaeret, ita ut numquam perfectos et ab omni peccato immunes se esse jactent; dirutum quidem et perfossum muri obstaculum (τὸ μεσότοιχον) esse sciunt, sed non prorsus, nec in aeternum. Quis enim umquam ad perfectum gradum progressus illud futurum saeculum gustavit et expertus est? In eo etiam, qui in gratia acquievit, ad mysteria et revelationes et immensam gratiae suavitatem pervenit, nihilominus peccatum haeret. Numquam ego perfectum hominem et prorsus liberum vidi. Ego enim etiam ad illum gradum aliquando perveni et cognovi, nullum hominem esse perfectum. hom. 8, 5.

Accidit, ut aliquis jam particeps gratiae factus et ab omni visibili peccato abstinens cadat; malitia enim, quae ipsi latenter inest, ultro cessans et se abscondens, aliquando nil agens, ut videatur abesse, ipsum adeo fallit, ut falso sibi persuadeat, mentem suam prorsus esse purgatam, et arrogantia infletur. Tunc, latronum more, ex latebris prorumpit et opprimit incautum. Quodsi homines stratagematis et insidiis uti in bellis norunt, quanto magis malitia, quae tot millibus annorum hoc opus exercuit, tot jam animas corrupit, insidias struendi perita erit. Fundamentum igitur Christianismi est, ne homo in bonis operibus, quae perfecit, conquiescat, nec opinetur, se quidquam esse, sed perseveret pauper esse spiritu. de cust. cord. 9. 10. 11.

Novi quosdam e fratribus tam uberi gratia abundasse, ut quinque vel sex integris annis cupiditates in ipsis velut prorsus emarcuerint et extinctae fuerint; tunc, quum portu et tranquillitate frui videbantur, repente malitia prorupit, velut ex insidiis, et tanto impetu ipsos aggressa est, ut expavescerent et consternarentur. de elev. ment. 14. hom. 17, 6.

Aliquis fratrum, cum aliis aliquando orans, divina vi captus et

abreptus, vidit caelestem civitatem Hierusalem et lucidas, quae illic sunt, domos et lucem immensam et ineffabilem. Audiit etiam vocem dicentem: hunc esse locum, ubi justi requiescant. Hac visione inflatus et de se altos spiritus ducens, in grave incidit peccatum et multis malis implicatus est. de elev. ment. 20. hom. 17, 14.

Nemo sanae mentis dicere audeat: quia mecum est gratia, a peccatis prorsus liberatus sum; sed duae illae personae (πρόσωπα gratia scil. et peccatum) in anima ipsius operantur. Imperiti rerum, si aliquid in ipsis gratia operata est, se jam vicisse et perfectos Christianos esse opinantur. Ego vero rem sic se habere censeo: quemadmodum sol in coelo, qui in puro aëre lucet, quandoquidem nubibus obscuratur, quae aërem crassiorem reddunt, nihil tamen, quippe quum post illas lateat, nec in lumine nec in substantia laeditur; sic se habent, qui nondum plene sunt purificati. Licet enim gratia divina praediti sint, in imo tamen pectore a peccato detinentur, et e contrario, qui in ipso corde gratia divina tenentur, adhuc tamen servi sunt et obnoxii pravis cogitationibus. hom. 17, 6.

Illi, qui gratiam jam adepti sunt, quo pacto labuntur? Non quod prorsus exstinguatur gratia aut imbecillior fiat, sed ut liberum arbitrium tuum et libertas probetur, quo inclinent. Traderis malitiae, ut monearis, gratiam bene custodire. Quo sensu vero scriptum est: Spiritum ne extinguatis 1 Thess. 5, 19., si ipse est inextinguibilis et lucidus? Quia voluntate tua illum negligens, ipsi non consentiens, extingueris, ita ut Spiritu excidas (κατασβέννυσαι ἐκ τοῦ πνεύματος) Eph. 4, 39. Liberum enim arbitrium in perfectis etiam inest; potest aliquis dives proprio motu divitias suas et thesauros, nobilitatem et dignitatem abjicere, et pro vilibus vestimentis ornatum, gloriam pro ignominia relinquere. Ipsi apostoli per gratiam non prohibebantur, quominus, quae vellent, facerent, etiamsi, quae fecissent, gratiae displicuissent, Gal. 2, 11. Act. 15, 13. Gal. 6, 1. hom. 27, 9. 10.

3) Inter adultos est etiam quaedam disciplina spiritualis, quemadmodum in visibili ecclesia. Illic, qui in corporeis delictis deprehenduntur, segregantur, sed poenitentia praestita, iterum recipiuntur; qui pure vixerunt, promoventur ad sacerdotium, (i. e. ab exteriori loco ad altaris viciniam), statum et ordinem accipiunt, ministri et assessores Dei fiunt. Ita res se habet etiam in communione Spiritus mystica, de qua apostolus 2 Cor. 13, 13. Quodsi anima

legem divinam migraverit, ac Dei Spiritum contristaverit, segregatur et ejicitur a spirituali gaudio, et amore et auxilio Spiritus Sancti se ipsa privat. Tunc, divina gratia id agente, afflictionibus et tentationibus et malignorum Spirituum vexationibus traditur castiganda, donec resipiscat et poenitentiam agat confessione et humiliatione. Tunc denuo gratia eam visitat, quid quod uberiorem interdum laetitiae mensuram recuperat. Quodsi sine intermissione et lapsu Deo adhaeserit, augmentum ipsius non interrumpitur, sed crescit ac proficit, donisque ineffabilibus instruitur; a gloria in gloriam, a quiete in quietem perfectiorem transmutatur, donec ad supremum perfectionis apicem pervenit, et perfectis, incontaminatis Christi ministris et sacerdotibus in regno aeterno adjungitur. de char. 28.

4) Qui sunt Spiritu ditati, pauperes se esse reputare debent; nam quemadmodum, si pauper, qui thesaurum a rege depositum accepit, alieno thesauro velut suo fretus, efferatur et altos Spiritus sumat, aufert ab eo rex thesaurum suum, et in pristinam ille paupertatem relabitur; sic, qui gratiam nacti sunt, si extollantur et superbiant, aufert ab illis Deus gratiam suam, et remanent, quales erant, pauperes. hom. 15, 27.

Rediens aliquando abbas Macarius a palude in cellam suam, portabat ramos palmarum; et ecce occurrit ei in via diabolus falcem gerens, quumque vellet eum ferire, non valuit. Itaque ait illi: „Multa in te potentia, Macari, quod adversus te nihil valeo. En enim, quidquid agis, ego quoque facio. Tu cibo abstines, et ego; vigilas, ego penitus non dormio. Unum solum est, in quo me vincis.“ Interrogavit Abbas Macarius: „quidnam illud est?“ Respondit: „humilitas tua; propter hanc adversus te nihil valeo.“ Apophth. p. 248.

Quemadmodum de rebus terrestribus obiter quisque, sed perfecte illi tantum disserere possunt, qui earum habent notitiam interiorem; ita potest quidem quisque verba facere de ἀπαθείᾳ et τελειότητι, re ipsa vero et in veritate perfectionis methodum intelligere et exponere eorum demum est, qui experti sunt. Quicumque de rebus spiritualibus disputant, nec eas ipsi experti sunt, homini similes sunt, aestate calidissima meridiei hora per campum aridum et desertum iter facienti, et quum siti flagrantissima torqueatur, fontem gelidum sibi fingenti, proxime profluentem, aqua dulcissima et purissima scaturientem, et opinanti, se ejus ope satiari et ablui. Vel

homini, qui cum mel numquam gustaverit, ejus suavitatem aliis describere conatur; de elev. ment. 17. 18. Foeminae similis est, sericis vestibus et margaritis ornatae, quae in lupanari prostat; sermones habere vult de justitia, rem ipsam et opera justitiae non novit. hom. 17, 9. 12.

Aliud est, notitiam aliquam rerum spiritualium habere, et de iis disserere; aliud in veritate et opere et fidei certitudine thesaurum in interiore homine et anima possidere (*τὸ ἐν ὑποστάσει καὶ ἔργῳ καὶ ἐν πληροφορίᾳ καὶ ἐν τῷ ἔνδον ἀνθρώπῳ καὶ τῷ νῷ ἔχειν τὸν θησαυρόν*), et gratiam et sapientiam et efficaciam Spiritus Sancti; quemadmodum aliud est, de pane et mensa sermones facere, aliud edere et satiari; aliud disputare de potu suavissimo, aliud ex ipso fonte haurire; aliud de bello et strenuis athletis disserere, aliud in bellum abire, cum hostibus manus conserere et victoriam reportare. hom. 27, 12.

5) Claritas, qua jam hic Sanctorum animae abundant, illa teget et amiciet nuda corpora in resurrectione et efficiet, ut ad caelum rapi possint. Et tunc illi corpore pariter atque anima in regno Dei sine fine quiescent. de elev. ment. 2.

Interiore illo Spiritus thesauro Christiani in die resurrectionis eodem modo utentur, ut corpora nuda decore amiciantur, quemadmodum oves et cameli alimenta intus colligunt, quae deinde hora famis e ventriculo reducunt et ruminant. hom. 32, 2.

Ignis ille caelestis deitatis, quem accipiunt Christiani intus in corde suo, nunc in hoc saeculo, quando corpus dissolvitur, erumpit, et rursus coagmentat membra (*συμπήττει τὰ μέλη*). hom. 11, 1.

Resurrectio animarum ab hoc momento fit, resurrectio vero corporum in illa die. hom. 36, 2.

Per mortem Christi anima primum in pristinam fruitionem luminum spiritualium et mysteriorum restituitur, et intellectuales ejus sensus divina gratiae luce illuminantur; dein ipsum corpus immortali et incorruptibili claritate circumvestitur. de lib. ment. 26.

6) Quantam unusquisque fidem et diligentiam exhibuit, ut dignus fieret, qui Spiritu Sancto instruatur, tantâ ipsi gloriae mensurâ continget in illa resurrectionis die corpus ejus coronari. Quod enim nunc in anima collegit, tunc extrinsecus revelatum apparebit in corpore. Hieme transacta, calidiores sole radios diffundente, arbores folia et flores et fructus proferunt, olera germinant terraque his te-

gitur et veluti decora veste amicitur. Eodem modo corpora Sanctorum tunc splendebunt, foras erumpente luce illa ineffabili, quae in ipsis erat abscondita. Virtutem dico et gratiam Spiritus, quae tunc ipsis erit vestis, laetitia, gaudium, pax et, ut uno verbo cuncta complectar, vita aeterna. de pat. et discr. 29. de lib. ment. 24. 25. hom. 5, 8.

Quemadmodum stellarum varia est gloria, sic in vita aeterna gradus erunt pro modo fidei, alter altero locupletior. Omnes, qui in igne et lumine versantur, nequeunt esse in tenebris, verum magna inter eos est discrepantia. hom. 36, 2.

In resurrectione corporum, quorum antea resurrexerint animae et glorificatae fuerint, corpora quoque glorificabuntur et illustrabuntur. Unum in Christo erunt omnes, alter alterum intuebitur in vera luminis contemplatione. Tunc alter alterum tam variis formis, tam multiplici gloria divina illustratum videbit, ut exstupescat et laetetur exultatione ineffabili, animadversa alterius pulcritudine; (omnis enim invidia aberit). Quemadmodum enim fieri nequit, ut plantarum et florum varietatem et numerum, vel animalium et astrorum multitudinem et cursum cogitando consequaris, ita Christianorum divitias immensas, infinitas et incomprehensibiles enarrare vel explicare nemo poterit. Quodsi jam creaturae adeo sunt infinitae et innumerabiles, quanto magis, qui condidit et creavit illas. hom. 34, 2. 3.

7) Bonorum caelestium corpus quoque particeps fiet, illa videbit et quasi palpabit, quando in Spiritum abierit (γένηται πνεῦμα). de char. 15.

Quemadmodum Deus e pulvere et terra aliam quondam naturam condidit, corpus cum membris, quae inter se aspectu et re sunt diversissima; quemadmodum acus in ignem conjecta alio colore eadem in ignem vertitur; ita in resurrectione omnia membra resurgunt, nec perit capillus, sed omnia naturâ mutatâ lucida fient; non resolvuntur ita, ut amplius eorum natura non subsistat. Petrus Petrus erit, Paulus Paulus, Philippus Philippus. Quilibet in sua ipsius natura permanet, Spiritu repletus; quaevis alia doctrina ad Pantheismum deducit. hom. 15, 10.

In aeterna vita, in qua corpora cum animabus glorificabuntur, sublata erunt omnia vitia, sexus discrimen et conditionis; omnes enim in divinam naturam transmutantur, dii et filii Dei facti. hom. 34, 2.

8) Gloria, quae in facie Mosis exsplenduit, Spiritus, quam nemo mortalium intueri valuit, typus est et imago ejus gloriae, qua in resurrectione corpora Sanctorum glorificabuntur. d. elev. ment. 1.

Quemadmodum est glorificatum corpus Domini, cum montem ascendisset, et in divinam gloriam et infinitum lumen transfiguratum; sic etiam corpora Sanctorum glorificabuntur et fulguris instar lucebunt. Quemadmodum enim gloria Christi interior corpus ejus texit, ut explendesceret, ita in Sanctis interior Christi virtus die illa in corpore eorum extus effundetur. Etenim substantiae et naturae Christi jam nunc in anima sunt participes. Ebr. 2, 11. Joh. 17., 22. Quemadmodum ab uno eodemque igne plures lampades accenduntur, sic necesse est etiam, ut corpora Sanctorum, quae sunt Christi membra, idem fiant, quod ipse Christus est. hom. 15, 38.

APPENDIX.

Macarius, sicut reliqui mystici theologi omnes, imaginibus imprimis delectatur, e rerum visibilium ordine petitis et ad res spirituales translatis. Harum ingens numerus in ipsius scriptis reperitur; nonnullas jam in antecedentibus exscripsimus, sed, quia in iis potissimum ingenium ejus manifestum est, quia ex his imprimis videmus, quomodo de rerum natura, de hominum vita senserit et judicaverit, quemadmodum ex iis rerum spiritualium typos et exempla hauserit, non possumus, quin exiguum earum numerum in fine scriptionis nostrae addamus. Origenes, ut notum satis est, visibilia omnia imagines esse et antitypos rerum invisibilium statuit: quemadmodum enim Deus hominem ad imaginem suam et similitudinem creavit, ita omnia quae sunt in hoc mundo conspicua, typis certis in invisibili rerum ordine respondent, ita quidem, ut nonnullae res visibiles plures in se rerum invisibilium similitudines contineant. Sic parabola illa de grano sinapi non tantum demonstrat, quanta in fide insit vis, quae crescere et se quasi expandere debeat, sed etiam, quemadmodum haec vis et indoles in ecclesia formanda et propaganda se manifestet. Ipsum adeo hominis corpus animi est imago. Membra, affectus corporis interioris hominis membris et affectibus respondent; duo quasi in homine insunt homines, alter alterius imaginem et similitudinem referentes, qui inter se pugnant. Orig. lib. in Cant. III. p. 81. (Redepenning II. p. 63.). Easdem sententias apud Macarium etiam reperies: *Ἡ τοῦ θεοῦ ἄφραστος σοφία μυστήρια καὶ τύπους διὰ τῶν ὁρωμένων δείκνυσιν.* de char. 19. *Ὁ ἔσω ἄνθρωπος ζώδιόν ἐστί τι, ἔχον εἰκόνα καὶ μόρφωσιν· ὁμοίωμα γάρ ἐστι τοῦ ἔξω ἀνθρώπου ὁ ἔσω.* hom. 16, 7. *Σκιὰ γάρ ἐστι πάντα τὰ φαινόμενα τῶν ἀληθινῶν τῆς ψυχῆς πραγμάτων. Ἔστι γὰρ παρὰ τὸν φαινόμενον ἄλλος ἄνθρωπος ἔνδον· καὶ ὀφθαλμοὶ, οὓς ἐτύφλωσεν ὁ σατανᾶς, καὶ ὦτα ἃ ἐκώφωσεν.* hom. 33, 4.

Αἱ παραβολαὶ ὥςπερ πρόσωπα ἔχουσιν εἰς τὸ πνευματικὸν ἔργον. hom. 45, 7.

Ac primum quidem nonnulla in lucem proferamus, e quibus patet, qua ratione spiritualia Macarius, ut ita dicam, ad rerum mundanarum ordinem detraxerit, ita, ut dicere fere possis, crasso quodam et carnali modo eum de rebus caelestibus et invisibilibus disputasse; inde apparebit, quod antea dixi, eum inter Anthropomorphistarum et Spiritualistarum rationem incerto pede errasse.

Huc pertinent, quae habet de peccati origine et augmento: Non latet hominem, id, quod vult, malum esse; fit igitur primum in animo quasi disceptatio et ambiguitas, utrum Dei mandato velit obtemperare, an malum perpetrare. Quodsi in hoc certamine amicitiae mundanae impetus stateram depresserit, momento malum verbum a corde ad labia transilit, mens, arcum quasi tendens, per linguam in proximum jaculatur, inde a jurgio ad manus res venit, interdum ad vulnera, quid quod ad caedem. Ita patet, in quantum sceleris brevis ille animae motus procedere possit. de pat. et discr. 23.

In corpus quodammodo se ipsum transformat immensus et incorporeus Deus, per benignitatem infinitam, se quasi contrahit et parvum reddit, qui omni substantia major est (*ὁ ὑπερούσιος*), ut possit coalescere cum creaturis suis intellectualibus, scilicet cum animabus Sanctorum et cum angelis, ut hae creaturae vita immortali, qua ipse pro deitate sua fruitur, participes fieri valeant. Hae omnes enim creaturae secundum propriam naturam corpora sunt, angelus sicut daemon et anima. Quamvis enim res tenues et subtiles, in hypostasi tamen, charactere et formis propriis, illaesa naturae tenuitate, corpus sunt tenue, sicut in sua substantia hoc nostrum corpus crassum est corpus. Anima, corpus tenue, membra hujus corporis quasi induit, oculum, per quem videt, aurem, per quam audit, manum, nares, cuncta corporis membra, cumque illis penitus commiscetur, et omnibus humanae vitae muneribus fungitur. Eodem modo ineffabilis et incomprehensibilis Christi benignitas contrahit se et minuit, et in corpus quasi se ipsa transformat, et coalescens cum ipsis fideles et amicas animas amplectitur, unus cum ipsis fit Spiritus. 1 Cor. 6, 17. etc. de elev. ment. 6. hom. 4, 9.

Cum apostolus dicit: exuite veterem hominem, integrum dicit,

habentem oculos, caput, manus, aures, pedes, sicut exterior homo. Totum enim hominem, animam et corpus, Satanas polluit et corrupit, ita, ut homo amplius non videat, quemadmodum vult, sed ut male videat, male audiat, manibus ad facinora perpetranda abutatur, corde ad malas cogitationes concipiendas. — Quoscumque Iesus vestimentis regni tenebrarum exuit, hi novum et caelestem hominem Jesum Christum induerunt, ut rursus oculi oculis, aures auribus, caput capiti respondeat, ut totus purus sit, gestans imaginem caelestem. hom. 2, 2. 4.

Si latro domum tuam invasit, aegre fers et sollicitus es, propterea isti resistis et caedis vel caederis. Ita anima latroni irrepenti (peccato) resistere et certamen inferre debet. Jam in hoc certamine varii sunt fortunae casus; nunc animam peccatum, nunc hoc illa vincit; sed victoriam non ante reportasti, quam in virum perfectum, in mensuram aetatis Christi evaseris Eph. 4, 13., et mortem superaveris 1 Cor. 15, 36. hom. 3, 4. 5.

Non difficile est Deo, penetrare in profundas animae mortuae abyssos, et inde mortuum Adamum revocare. In hoc enim mundo sunt domus et aedificia, in quibus homines habitant, sunt et belluarum et draconum, venena eructantium, latebrae. Si sol, quae est creatura, quocumque penetrat, in speluncas et cavernas et obscura loca, nihil laeditur, quanto magis Deus et dominus omnium, ingressus nidos et latebras, ubi mors jacet, i. e. animas, et inde Adamum eripiens, nullam injuriam patietur. Sic pluvia quoque incontaminata manet, etiamsi ad intimos terrae sinus descendat, exsiccatas radices humectet, et nova germina producat. hom. 11, 13. 7, 2.

Si diversoria et lupanaria et loca, in quibus morum perversitas et intemperantia se exerunt, homines pii transeunt, nonne execrantur et quasi videntes non vident? (sunt enim illis quasi mortui.) — sic Deus aversos a verbo et mandato suo respicit quidem, sed despicit (ἐπιβλέπει μὲν ἀλλὰ παραβλέπει), nec cum illis ullum habet commercium, nec requiescit in illorum cogitationibus. hom. 12, 2.

Est terra, in qua habitant quadrupedia, est quasi terra in aëre, in qua versantur et degunt volucres, est terra piscium, scilicet aqua maris; non possunt incolae harum terrarum pro lubitu suam relinquere, sed vel moriuntur, vel certe in pericula incidunt, (quadrupedia in mari, pisces in terra). Ita est terra quaedam Satanae, in qua degunt et versantur potestates tenebrarum et daemones; est

etiam terra deitatis, in qua versantur et requiescunt agmina angelorum et sanctorum spirituum. Neutra hujus corporis oculis est conspicua, oculis tantum spiritualibus patet, oculo nempe cordis. hom. 14, 6.

Si quis morbo laborat, fieri tamen potest, ut unum alterumve membrum sanum et illaesum habeat, v. c. oculum, reliquis membris correptis a languore. Ita in spiritualibus etiam tria animae membra sana esse possunt, sed propterea homo nondum est perfectus. hom. 15, 7.

Quando e corpore anima egreditur, magnum tunc perficitur mysterium. Si peccati rea est, chori daemonum et angeli mali assiliunt, abripiunt animam et in suum regnum detrahunt. Nec mira res: iisdem homo potestatibus subjectus manet, quarum in hac vita servus fuit. Sanctis Dei servis momento mortis angeli adstant, et spiritus sancti eos custodiunt, et simulatque exiit anima, angelorum chori ad caelestia regna sublevant. hom. 22.

Margaritam splendidam, pretiosam et regiam soli regi gestare convenit, alii non licet; ita nemo, nisi qui a divino et regio Spiritu est natus, filius Dei, caelestem et pretiosam margaritam, imaginem luminis ineffabilis, i. e. Deum ipsum, gestare potest. Joh. 1, 12. 1 Cor. 15, 49. hom. 23, 1.

A tempore transgressionis Adami, cogitationes dissipatae sunt et a dilectione Dei in hoc saeculum abreptae, mixtae crassis et terrenis cogitationibus. Sed quemadmodum Adam mandatum transgressus, fermentum affectuum pravorum in se recepit, sic participatione quadam, qui ex eo nati sunt, universum genus Adami, illius fermenti participes facti sunt; quo factum est, ut sensim paulatimque, crescente malo, ad adulteria, caedes, idololatrias etc. delaberentur. Eodem modo Domino placuit, ut in adventu suo pro omnibus pateretur, eosque proprio sanguine redimeret, eorumque animis caeleste virtutis fermentum infunderet. Inde, crescente bono, omnis justitia legalis, omnes virtutes nascuntur, donec ad unum omnes bono fermentati, unus cum Domino Spiritus fiunt. 1 Cor. 6, 17. hom. 24, 2. 3.

Quemadmodum colonus, cum se ad terram exercendam accingit, instrumenta et indumenta operi commoda secum afferre debet, ita Christus, rex ille caelestis et verus agricola, veniens ad humanum genus vitio corruptum, corpus assumsit, et instrumento usus est cruce, et sic animam desertam coluit, spinas et tribulos i. e. malos

spiritus radicitus evulsit, et lolia, i. e. peccatum eradicavit et omne foenum i. e. transgressiones, igne combussit. Et cum sic exercuisset illam ligno crucis, plantavit in ea pulcherrimum hortum Spiritus, fructum omnis generis suavissimum Deoque gratissimum Domino tamquam hero producentem. hom. 28, 3.

Quemadmodum agricola jugum boum dirigens terram colit; eodem modo Dominus Jesus, praeclarus ac verus agricola, binos apostolos copulans, eos emisit, ut per hos terram audientium et vere credentium coleret. hom. 28, 7.

Nostra conversatio in coelis est, nec tantum, ut nonnulli opinantur, in typo et figura, sed in re: illic nutrimur cibo caelesti. hom. 31, 6.

Duarum rerum (προσώπων) conjunctio perfectum opus reddit, sicut testamentorum duorum vides exemplum. Homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus, duos oculos habet, duas nares, duas manus, duos pedes. Unoculus vel unimanus mancus est; avis, cui altera deest ala, volare nequit. Sic humana natura, si nuda per se manet, nec communione cum caelesti jungitur, nihil laude dignum efficere potest. hom. 32, 6.

Quemadmodum una anima est in omnibus membris, quae in cerebro sedem habet, et inde vim suam exerit, et pedes adeo commovet: sic divinitas omnes creaturas caelestes et subterraneas amplectitur, plena ubique est in omnibus creaturis, quamvis aliena a creaturis; quia scilicet dimensionis et limitum est expers. hom. 40, 3.

Sicut publicani sedent juxta viarum angustias et retinent et vexant praetereuntes: sic daemones quoque insidiantur et inhiant animabus, cum decedunt e corporibus; nisi perfecte fuerint purgatae, non permittunt eas ad caelestia regna ascendere, et obviam venire Domino. hom. 43, 10.

Ut in mediam rem auditores rapiat, et testes quasi oculatos et auritos faciat, solet passim Macarius dialogica adeo forma disputantes eos, de quibus sermo est, introducere: hujus moris duo exempla afferam:

Interdum Satanas in corde tuo tecum disputat, dicens: „Ecce, quanta mala commisisti, ecce quanta insania anima tua repleta est, quam onustus es peccatis, ut salvari jam non possis.“ Haec agit, ut te in desperationem inducat, tamquam poenitentia tua non sit accepta Deo et grata. Tu vero sic responde: „Habeo testimonia

Domini, literis consignata: Nolo mortem peccatorum, sed poenitentiam, ut convertatur ipse a via perversa et vivat.“ etc. hom. 11, 15.

Si opinaris te omnia praestitisse, quod mundo renuntiavisti, ita tecum Dominus disputat: „Quid gloriaris? nonne corpus tuum et animam tuam ego creavi? quid tu fecisti?“ Incipit tunc anima confiteri et precari: „Tua sunt omnia; domus in qua dego, tua est, indumenta mea tua sunt, abs te nutrior, abs te omnibus, quae sunt necessaria, instruor.“ Tum Dominus respondet: „Gratias tibi ago, quae habes, tua sunt; bona voluntas tua est, et ob amorem tuum, quem in me habes, quoniam ad me confugisti, insuper tibi dabo, quae neque tu hactenus possidebas, nec reliqui in terra homines habent. Me accipe, Dominum conjunctum cum anima tua, ut mecum semper verseris in laetitia et exultatione.“ hom. 32, 8.

Parabolae nonnullae e rerum natura petitae.

Sicut cannabis, nisi diu tundatur, non potest in subtilissima fila attenuari; quanto contusa longius est, quanto crebrius pectine exercita, tanto fit purior et utilior; quemadmodum vas recens formatum, antequam igne induratum est, ineptum est ad usus humanos; quemadmodum puer parvulus non valet vitae muneribus fungi (non potest enim aedificare, nec plantare, nec serere etc.): sic animae saepe, etiamsi divinae gratiae participes, per Dei benignitatem, infantiae ipsarum indulgentem, perfusae sint dulcedine caelesti, vel ipsam Spiritus requiem gustaverint, tamen ultra puerilem aetatem non sunt progressae, nec ad regnum Dei aptae, antequam probationibus exercitae et malorum spirituum impetibus variis exploratae sint. de lib. ment. 14.

Est in sole et circulus ipse et splendor inde emanans; aliter vero apparet ille splendor, aliter lux in ipso circulo insita; est lucerna in domo: alius est splendor ex ea ubique fulgens, alius est, scilicet splendidior et clarior, ipse lucis quasi nucleus. Ita sunt quaedam, quae a gratia emanant; quando haec procul a se, tamquam visiones quasdam, homo intuetur, iisque delectatur, alius est ejus status, quam tunc, quando in eum ingressa ipsa Dei potentia detinet membra et cor ejus, et captivam mentem in amorem Dei abripit. hom. 7, 3.

Quemadmodum apis secreto favum in alveo fovet et fingit, sic gratia quoque in cordibus amorem suum secreto exercet, amarum mutat in dulce, asperum in laeve. hom. 16, 7.

Equus, quam diu in silvis pascitur cum animalibus agrestibus, jugo hominum nondum est submissus; quando capitur, ut mansuescat, injiciunt ei fraenum grave, donec composite et ad artis regulas incedere didicit. Tunc insidet ei peritus equitandi, et ad bellum praeparat; denique armis eum exornant, thorace et lorica, et fraena suspendent et ante oculos ejus concutiunt, ut assuefiat tumultui nec terrore percellatur. Quodsi ita edoctus praelio contendere non didicit, inutilis est; si vero bello assuefactus, dimicare didicit, subaudito clangore bellico, si pugnam vel suboluerit, parato animo hostes aggreditur, et ipsa voce tremorem iis injicit. — Eodem modo anima, post transgressionem ferox et indomita, in deserto hujus mundi cum feris versatur, nempe cum spiritibus nequitiae, obedientiam ipsis praestans, in peccatis. Quando vero verbum Dei audiit et fidem concepit, fraenatur a Spiritu Sancto, et agrestes mores deponit et cogitationes carnales, gubernata a Christo, ipsi quasi insidente. Tunc in afflictionem et angustias incidit, ut examinetur, ut paulatim a Spiritu mansuefiat, deficiente sensim et evanescente in ipsa peccato. Et ita anima, armata thorace justitiae et galea salutis et clypeo fidei et gladio Spiritus, docetur manus conserere cum hostibus suis: et sic armata Spiritu Domini adversus Spiritus malitiae dimicat, et ignita Satanae tela extinguit. hom. 23, 2. 3.

Patres terrestres e sua ipsorum natura generant liberos, e corpore suo et anima, natosque omni studio et accurata diligentia instituunt, donec perfecti viri fiunt, et successores et haeredes. Omne enim patrum desiderium ab initio id est, ut procreent liberos et haeredes habeant; quos nisi genuerunt, moerore summo ac tristitia afficiuntur; contra, si procrearunt, gaudent et ipsi et cognati et vicini. — Eodem modo Domini nostri, Jesu Christi, omnis labor et omne studium in eo positum est, ut generet ex se ipso, e sua ipsius natura, filios, e Spiritu, cupiens, ut coelitus ex ipsa Deitate nascantur. Quas nisi genuit, moerore et tristitia afficitur, quod genus humanum, propriam imaginem, amat, et voluit ex divino semine procreare. Quodsi quis respuit de ventre Spiritus divini (ἐκ γαστρὸς τοῦ πνεύματος) regenerari, summo dolore Christus afficitur, qui propter omnes passus est, ut omnes salvaret. hom. 30, 1. 2.

Urbs magna, si est deserta, si muri disjecti jacent, si est ab hostibus capta, nulla magnitudinis ejus est utilitas. Praeter magnitudinem id curandum est, ut habeat muros firmos, ne hostes invadant. Sic animae quoque, scientia et intellectu exornatae et ingenii acumine praeditae, magnarum similes sunt urbium. Quaerendum ante omnia, utrum sint munitae virtute, ne quando hostes irruant, eas desolentur. hom. 42, 1.

Mulier, quae concepit, infantem suum fovet intus in tenebris, ut ita dicam, et loco obscuro; quando vero tempus venit, quo puer in lucem prodit, novum quasi rerum ordinem conspicit, quem numquam vidit, coeli, terrae et solis. Et statim amici et cognati laeto vultu ulnis eum excipiunt. Si vero interna quadam confusione (ἀταξίᾳ) infans laeditur, coguntur medici ad hoc munus constituti cultello uti, moritur infans et a morte in mortem, e tenebris in tenebras transit. Ita res se habet in spiritualibus. Quicumque semen deitatis quasi conceperunt, hi illud invisibili modo obtinuerunt, et propter inhabitans ipsis peccatum obscuro et horribili (φοβερός) loco occultant. Si forti sunt animo et illud semen bene tuentur, tempore in lucem producunt, et, corpore dissoluto, angeli et omnes chori caelestes laeto vultu eos excipiunt. Si vero quis, susceptis Christi armis ad bellum fortiter gerendum, socordiae cedit, hic hostibus traditur, et, dissoluto corpore, a tenebris, in quibus nunc versatur, in alias graviores tenebras, ad interitum aeternum transit. hom. 43, 6.

Si solem intueris, reperis in coelo circulum (τὸν κύκλον) ejus; lumen autem et radios in terram deferri, et totam luminis vim, totum splendorem ibi versari vides: sic Dominus quoque ad dextram patris, omni principatu et potestate sublimior, sedet; oculum vero in cordibus hominum in terra viventium defixum habet, ut eos, qui ab ipso auxilium desiderant, eo tollat, ubi ipse est. hom. 45, 7.

Animalia, ratione destituta, longe nobis sunt intelligentiora. Unumquodque enim eorum cum iis unitur, quae ejusdem sunt naturae, bestiae cum bestiis, oves cum ovibus. Tu vero non reverteris ad caelestem tuam cognationem (συγγένειαν), qui est dominus; sed cogitationibus tuis indulges et assentiris, quae sunt pravae; peccati adjutor factus, ejus ope tibi ipse bellum infers, et ita hostibus te ipse devorandum tradis. hom. 45, 7.

Parabolae nonnullae e vita hominum petitae.

Ea, quae visibilia sunt in ritibus sacris invisibilium mysteriorum typos et umbras esse scito: templum visibile cordis, sacerdotem veri sacerdotis gratiae, Christi. Sicuti in ecclesia visibili, nisi prius absolutae sint sacrae lectiones, et reliqua, quae canon ecclesiasticus fieri jubet, ordine processerint, v. c. psalmodiae, non licet sacrum corporis et sanguinis Christi mysterium a sacerdote peragi. Vice versa, si totus canon ecclesiasticus (βαθμὸς, κανὼν ἐκκλησιαστικός) integro ordine absolutus fuerit, oblatio vero mystica a sacerdote non celebretur, nec eucharistia et communio corporis Christi administretur; caerimoniarum ecclesiasticarum ordo haud perfecte absolvitur, Deique cultus mancus et mutilus est. Sic de quolibet judica Christiano. Licet enim aliquis in jejuniis, in vigiliis, in psalmodiis, in cunctis omnium virtutum officiis omni diligentia se exercuerit; nisi eo pervenerit, ut mystica Spiritus operatio in altari cordis ejus a gratia, ita ut sentiat et spiritualis quietis arcanam experientiam faciat, perficiatur; imperfecta erit tota illa exercitationum religiosarum series et fere inutilis, quia caret exultatione spirituali, arcano modo in corde operante. de char. 29.

Diabolus non, quantum ipsi libet, animam affligere potest, sed pro mensura agendi, quam Deus ipsi concedit. Si enim hominibus non est ignotum, quantum oneris portare mulus valeat, quanto ferendo par asinus sit, quanto camelus: unde fit, ut consentaneum cujusvis viribus pondus cuique imponant; si perspectum figulo est, quam diu vasa in fornace sint coquenda, ne justo tempore diutius in eo cocta dissiliant, vel ante tempus extracta inutilia sint: si tanta, inquam, in homine prudentia est, quanto magis divina sapientia perspectum habebit, quantum animae cuivis pondus tentationum sit imponendum, ut probetur et regno coelorum idonea fiat. de lib. ment. 13.

Corpus oculum habet ducem, et oculus ipse circumspiciens, corpus ut recta via incedat, curat. Jam finge tibi aliquem per loca silvestria, spinosa et lutosa transeuntem, ubi ignes erumpant, et gladii immineant et praecipitia sint et aquae multae. Sit ille agilis et cautus et interritus, oculo duce bene utatur, et loca illa ardua caute permeet, continens undique pedibus manibusque tunicam, ne a

spinis et fruticibus divellatur, vel luto inquinetur, vel gladio scindatur. Oculus, corporis lumen, hoc dirigit, ne in praecipitia delabatur, vel aquis immergatur, vel casu gravi laedatur; sic alacer ille et cautus, veste coërcita, transgrediens, sobrio animo, et oculum ducem sequens, non tantum se ipsum illaesum, sed tunicam quoque integram ab igne et spinis servat. Quodsi alius minus alacer, tardus, segnis, socors, iners et ignavus eadem loca peragrat, tunica ejus, huc illuc diffluens, fruticibus et spinis discerpitur, quod non strenue continet eam, vel gladiis scinditur, vel coeno polluitur, et, ut brevi dicam, pessumdat vestem elegantem et recens consutam negligentia, inertia et ignavia sua. Imo, nisi diligenter et alacriter oculo utatur, ipse in foveam incidit, vel aquis demergitur. — Eodem modo anima, quae tunicam corporis gestat veluti praeclaram vestem, si discernendi facultate pollet, quae totam cum corpore animam dirigit, transeuntem per nemora et spineta vitae, per coenum, per ignem, per praecipitia cupiditatum et voluptatum et reliquarum hujus mundi absurditatum; diligenter se ipsa et tunicam corporis coërcebit et custodiet, ne a fruticibus et spinis hujus mundi dilaceretur, quae sunt sollicitudines, negotia et curae terrestres; nec igne concupiscentiae comburatur; oculum avertet, ne videat malitiam, et aures, ne audiat calumnias, et linguam, ne vana verba loquatur, et manus et pedes arcebit ab actionibus et studiis inhonestis. hom. 4, 2. 3.

Fac virum quendam admodum divitem, regem illustrem, delectari femina paupere, nihil praeter corpus suum possidente, ejusque amore inflammari et sponsam eam ac conjugem sibi eligere; illa si omnem viro praestat benevolentiam, et amorem, quo ipsum persequitur, servat, quamvis antea pauper et egena, omnium bonorum conjugis fit socia et domina: si vero praeter decorum et officium aliquid commiserit, si indecenter et inconvenienter in domo conjugis versata sit, cum infamia ac contumelia ejicitur. Tunc illa dolore ac luctu maximo afficitur, secum perpendens, quantas divitias amiserit, quanta gloria exciderit, in contumeliam lapsa propter dementiam suam. Sic anima, cujus connubium caelestis sponsus Christus expetiit, quam cooptavit in mysticam et divinam communionem, quae gustavit caelestes divitias, magna diligentia et assiduitate sponso suo Christi placere debet, et ministerio Spiritus sibi concredito decenter et convenienter fungi; debet satisfacere Deo

in omnibus, Spiritum in nulla re contristare, et honestam modestiam ac dilectionem, ut decet, conservare; debet in domo caelestis regis recte versari, in omnibus gratiae auxilio bene cordata. Ejusmodi anima omnium Domini bonorum domina constituitur et ipsum gloriosum deitatis domini corpus ei contingit (*αὐτὸ τὸ ἔνδοξον τῆς θεότητος αὐτοῦ σῶμα αὐτῆς τυγχάνει*). Si vero quid peccaverit, si ministerio suo indecenter functa sit, si gratum domino non fecerit, nec ejus voluntati paruerit, si cum gratia Spiritus Sancti, ipsi inhabitantis, non sit cooperata, tunc cum contumelia ac dedecore honore exuitur, vita, utpote inutilis facta, privatur, quod consortio regis caelestis non amplius est digna. Denique propter talem animam tristitia, dolore et luctu afficiuntur omnes sancti et intellectuales spiritus, angeli, potestates, apostoli, prophetae, martyres lugent ejus sortem. Quemadmodum enim gaudium est in caelo de uno peccatore resipiscente (Luc. 15, 7.), ita multa est tristitia, ingens planctus de una anima, quae excidit vita aeterna. hom. 15, 1—3.

Si gens exigua bellum regi infert, non valde hic est sollicitus sed mittit milites cum ducibus, qui eam debellent. Quodsi gens rebellis non est numero exigua, ita ut possit regnum regis evertere, rex ipse cum nobilibus suis et omni exercitu ad bellum gerendum proficisci cogitur, ut collectis copiis hostes profliget. Cognosce igitur dignitatem tuam; ipse enim Deus cum exercitu angelorum et sanctorum spirituum surrexit, ut munere te a morte redimendi ipse fungeretur. hom. 15, 30.

Quemadmodum mercatores nudi in profundum mare descendunt, mortem aspernati, ut margaritas promant, coronae et purpurae regiae inserendas; sic, qui solitariam vitam degunt, nudi mundo exeunt, et in profundum mare malitiae, in abyssum tenebrarum descendunt, ut inde promant pretiosos lapides, dignos corona Christi, ecclesia caelesti, saeculo novo, civitate splendida, populo angelico. hom. 15, 51.

In visibili rerum ordine literae sunt imperfectae; id quod solus cognoscit homo literatus, qui mediocriter saltem literis est imbutus; sic res se habet in spiritualibus; Deus a nemine potest comprehendi, nemo emetiri ejus magnitudinem valet, nisi qui ex eo gustarunt (*ἐξ αὐτοῦ γευσάμενοι*) eumque in se receperunt, quique imbecillitatem suam agnorunt. Si quis in literis pene rudis rus abeat, ubi sunt plebeji, tamen ab illis celebratur, quod rustici sunt plane nec rem diju-

dicare sciunt. Hic idem mediocriter doctus si in urbem proficiscitur, ubi sunt rhetores et scholastici, non audet in eorum conspectum prodire nec loqui, quia ab hominibus doctis rusticus (χωρικός) esse cognoscitur. hom. 26, 17.

Pictor faciem regis, dum pingit, attente debet intueri; jam si regis facies ex adversa parte in ipsum pictorem est intenta, facile et eleganter ille imaginem ad vivum repraesentat; quodsi faciem rex avertit, pingere ille nequit; eodem modo insignis ille pictor, Christus, in iis, qui ipsi credunt, et fixis eum oculis intuentur, confestim ad imaginem suam hominem caelestem depingit, ex ipso Spiritu, ex ipsa substantia lucis arcanae hanc caelestem imaginem format et se ipsum, sponsum egregium et praeclarum, illi largitur. Quodsi quis intentis oculis eum non semper intuetur, reliquis omnibus spretis, non pinget dominus ejus imaginem e sua ipsius luce. Oportet ergo fixis nos eum oculis intueri, credere ei eumque diligere, ut suam imaginem caelestem pingat et animis nostris immittat, ut sic Christum gestantes aeternam vitam consequamur, et abhinc certa fiducia fulti requiescamus. hom. 30, 4.

Quemadmodum moneta aurea, nisi impressam gestet regiam imaginem, in commercio nullo est usui, nec in regis thesauros recipitur, sed rejicitur: sic anima, nisi gestet imaginem Spiritus caelestis in luce ineffabili, Christum videlicet in ipsa expressum, non est idonea thesauris caelestibus, et a mercatoribus regni domini, a praeclaris apostolis, respuitur. hom. 30, 5.

Rex, qui dat literas ad eos, quibus vult codicillos (κωδικέλους) et munera largiri, illis notum facit: „Contendite ad me confestim, ut a me accipiatis dona regia!“ Qui nisi venerint et acceperint, nihil ipsis proderit, quod epistolam legerint, quin potius supplicio sunt digni, quod venire noluerunt et dona regis accipere. Sic divinas scripturas veluti literas misit dominus hominibus, mandans: ut cum fide et precibus petant et consequantur donum caeleste ex ipsa deitatis substantia (ἐκ τῆς ὑποστάσεως τῆς θεότητος). Si quis non accesserit, nec petierit, nec acceperit, nihil ei proderit, legisse divinas scripturas, imo capitali supplicio afficietur, quod a rege caelesti noluit accipere donum vitae, sine quo fieri nequit, ut vitam aeternam, qui est Christus, consequatur. hom. 39.

Quemadmodum in partu femina pauper et regina eosdem sustinent dolores; quemadmodum terra pauperis et divitis, nisi suffici-

enter imbre rigetur, fructus non potest producere: sic in operatione animae (ἐν τῇ ἐργασίᾳ τῆς ψυχῆς) non sapiens, non locuples gratia ad regnum pervenit, nisi per multas afflictiones et calamitates, per multos labores; haec enim est Christianorum vita. hom. 42, 2.

In visibili rerum ordine nemo per se mare trajicere potest, nisi habeat levem naviculam, ex ligno confectam, quae aquis innatat; demergitur enim et interit, quicumque in mari incedere vult. Eodem modo nequit anima per se trajicere aestuosum peccati mare et periculosam abyssum affectuum, qui a pravis tenebrarum spiritibus excitantur, nisi nactus sit subtilem, caelestem et volatilem (εὔπτερον) Christi Spiritum, cujus ope et auxilio recto cursu sine errore ad caelestem quietis portum, ad regnum divinum pervenire poterit. Quemadmodum vero, qui sunt in mari non hauriunt potum e mari, nec promunt ex eo vestimenta vel victum, sed aliunde in navem important; sic animae quoque Christianae non ex hoc mundo, sed caelitus cibum caelestem et indumenta spiritualia accipiunt; inde viventes, navi boni et vivificantis Spiritus vecti, superant adversarias et pravas principum et potestatum insidias. Et quemadmodum ex una substantia ligni omnes naves construuntur, quarum ope homines amarum mare trajicere possunt; sic ex una deitate lucis caelestis diversorum gratiae donorum, quae ab uno Spiritu distribuuntur, omnes Christianorum animae corroborantur, ut universam nequitiam quasi supervolent. hom. 44, 6.

Haec de Macario nunc habui, quae dicerem. Confido fore, ut inde manifestum sit, non spernendum esse hunc virum, memoriamque ejus omnibus commendandam, qui primorum ecclesiae Christianae temporum perfectam velint acquirere notitiam. Est enim theologus non exigui ingenii, et scriptorum ipsius indoles ut ita dicam, δραστικὴ et γραφικὴ usui et exemplo iis imprimis esse poterit, qui populi aures nimia speculatione et subtilioribus disquisitionibus obtundunt. Equidem certe libenter confiteor, non pauca me hujus viri studio debere, quem quo ex tempore penitius cognovi, mirum quantum animi candore et scriptionis ingenuitate me allexit.

Theses.

1) Creatura gemens Rom. 8, 18—23. universa est natura, animata et inanimata.

2) Non est ecclesiae evangelicae principium et norma, in rebus dogmaticis diversitatem existere debere.

3) Schellingii doctrina de nexu, qui est inter spiritum et materiam, dummodo [illegible]itum creatum referatur, et patrum exclesiasticorum plerorumque et Lutheri ejusque sociorum fuit.

4) Neque Creatianismus, neque Praeexistentianismus, sed solus Traducianismus cum legibus physicis et logicis concinnari potest.